sine fascis infantiam educantes, membra, & speciem iis, liberalem conciliarent. Assuefaciebant etiam eos quibusvis cibis, & jejunio: utque intrepidi ad tenebras, imperterriti essent ad solicitudinem, nescii illiberalis morositatis, & vagitus. Hinc mercabantur liberis nonnulli exteri nutrices Laconicas. Etiam quæ Athenienſem nutricata est Alcibiadem, Amyclam, tradunt Lacænam fuisse. Cæterùm huic, ut auctor est Plato, Zopyrum Pericles moderatorem præfecit, nihilo aliis mancipiis excellentiorem. *Plut. in Lycurgo.*

B LUPA. Faustuli pastoris uxor, propter quæstum corporis ita dicta, Romulum, & Remum geminos fratres expositos ab Amulio, & in ripa Tyberis inventos, educavit. Livius, & omnes Historiæ Rom. *Plin. l.18.c.2.* Accam Laurentiam vocat.

ACCA Laurentia Romuli nutrix. ☞ *Vide Titulum. Hereditate acquisita bona.*

NERO Cæsar funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus usus Calend. Januarii fuerat. Reliquias Ægloge, & Alexandria nutrices cum Acte concubina Domitiorum monumento condiderunt quòd prospicitur à campo Martio, impositum colli hortorum. In eo C monumento solium Porphyretici marmoris superstanti Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio. *Suet.*

DOMITIANI Imp. à conjuratis occisi cadaver populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllis nutrix suburbano suo Latina via funeravit; sed reliquias templo Flaviæ gentis clàm intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit. *Suet.*

Scoti veteres non accersebant lactandis infantibus nutrices, sed suo ipsæ succo Matres proles suas educabant, probri id loco ducentes, nec adulterii suspicione carere, si qua fortè lacte deficiente ad nutricationem haud sufficeret. Hoc enim D pacto legitimas proles probari ajebant, si quas utero sovissent easdem in lucem editas enutrire natura non recusaret, matrisque munus solæ implentes, nullam liberorum partem nutricibus cederent. Degenerare item nonnihil prudentissimi homines à parentum natura filios arbitrabantur, familiari matris in utero alimento assuetos, ubi ad aliena ubera admoverentur. *H. Boethius in Scotia.*

MACRINA, femina pia, discipula Gregorii Neocæsariensis, nutrix, & magistra etiam in Christianæ religionis fundamentis fuit magni illius Basilii. *Basilius in epistola ad Neocæsarienses.* E

Philippa Catinensis nutrix Roberti Calabriæ ducis filii. ☞ *Vide Titulum. Obscuro ortu loco, qui dignitatibus profanis claruere.*

* Bonæ nutricis (Quales olim Lacænas constat fuisse, quarum opera etiam externi sunt usi, teste Plutarcho) animi, corporisque virtutes, & quantum nutricatio monumentum habet ad Infantis educationem, videatur apud *Christophorum à Vega lib.2. de arte medendi.* Et nos suprà, ☞ *In loco de* F *Lacte, & Lactatione*, nonnulla tradidimus.

* Monet Quintilianus omninò curandum esse parentibus, ut nutrices prolibus suis dent, quæ non sint impeditioris linguæ. Sapientes eligi Chrysippus voluit. Cùm enim eas auditurus est puer, primùm earum mores, & verba effinget. Nam natura tenacissimi sumus eorum, quæ annis teneris discimus.

* PIETAS, ET OBSERVANTIA ERGA NUTRICES,

☞ *Quære in Loco de Amore nonnulla.* G

Ingens porrò fuit apud veteres, tam sacri, quàm alteriùs ordinis, alumnorum amor, & observantia erga nutrices.

Moyses *Gen.c.* 35. Enarrans mortem Rebeccæ, & Deboræ nutricis ejus, particulatim, & accuratè mortem, & sepulturam hujus recenset, vix facta mentione Rebeccæ, quæ tamen fuerat mater familias, & Domina alterius. Cujus ratio alia non est, quàm pietas solita exhiberi altricibus. Allegoricam aliam poterit Lector petere *ex Ruperto l.8. Comment. in Genesim. cap.*13.

Etiam *Virgilius* describit Æneam hac erga Cajetam nutricem suam observantia, & pietate excelluisse, dum dicit, illum H hanc secum ex Trojanæ urbis excidio in Italiam deduxisse: atque in Litore Campano extinctam magnificè funeraſſe, extructa etiam urbe, quæ nomen illius deferret. Hinc *lib.7. Æneidos.*

Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam morienſ famam Cajeta dedisti.

FINIS LITTERÆ N.

THEA-

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK,

ARCHIPRESBYTERO ANTUERPIENSI,

Littera O.

A * *Asterisci Titulis sive Generalibus, sive Secundariis, Rebusve sub iisdem* B *contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt indices.*

* Obedientia.

☞ *Consulatur Locus de Religione. Tit. Cultus hominum religiosus, ubi etiam nonnulla à Theod. Zuingero de hoc argumento, peculiari tractatione inspargunturſ, quæ huc reduci possent, quamvis etiam illorum hic sparsim meminerimus.*

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

B

OBEDIENTIA dicitur quasi Obaudientia, quòd nempè vox, & præceptum Superioris audiatur, & admittatur. Græcè ὑπακοὴ quasi subauditionem vocant.

Definitur autem à S.Thom. Aquin. 2.2. *quæst.*104. *art.*2. *ad* 2. Virtus moralis, efficiens hominem promptum ad præstandam voluntatem, aut præceptum Superioris. Omne autem opus virtutis, quo Superioris præceptum impletur, aut voluntas, obedientia dicitur materialis, & ad omnes se virtutes ea extendit.

C OBJECTUM.

Objectum quod, ut dicunt Philosophi, hujus virtutis, est omne opus præceptum, cui ad hoc volendum, aut faciendum hæc virtus inclinat.

Objectum, cui est Superior, qui enim superiorem non habet, cui possit obedire, non habet obedientiam, unde Christo secundùm naturam divinam non competebat.

Ratio autem obiectiva in obiecto quod, est debitum auctoritati Superioris ratione præcepti. Sic ut absque vilipendentia saltem interpretativa Superioris, nequeat executio talis, aut talis operis omitti. Alii tamen ponunt rationem objecti, quòd esse specialem illam honestatem, quam accipit ex eo quod, sit præceptum Superioris.

D Ratio verò formalis obiectiva, est jus, & potestas regendi quam habet Superior, idque ex triplici radice. Primò ex ratione causæ, & effectus: 2. ex ratione totius, & partis: 3. ex ratione agentis, & patientis, vel instrumenti. Unde exsurgunt imperia, & potestates omnes tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ, earumque prima radix est Deus, qui has per positivam ordinationem, aut per naturalem rerum institutionem communicavit.

SPECIES VARIÆ.

Cùm sit quadruplex potestas imperandi, scilicet divina, & humana, eaque cùm Ecclesiastica, tùm Politica, cui annectitur Oeconomica, sive Domestica; constat etiam non unam Obedientiæ speciem constitui. Quamvis probabilior sit illorum sententia, qui cum *D. Bernardo Tract. de præcepto*, & F *dispensat.* ejusdem rationis obedientiam exerceri erga Dei, & hominum imperia sentiunt.

Igitur communis obedientiæ distinctio est, ut alia sit hominis ad Deum: alia hominis ad hominem. Hæc verò multiplex est, prout multiplex potestas. Sic est obedientia subditorum ad magistratum, vel Principem: filiorum ad parentes: servorum ad dominos: discipulorum ad magistros: denique alia est Religiosorum ad suos prælatos, quæ cæteris tantò est perfectior, quanto illi se promptiores exhibent, ut non modò illorum voluntatem cognitam, & imperatam compleant, sed etiam non imperatam. Unde dicitur perfectè obediens non G expectare præceptum Superioris: sed ut rectè *Albert. cap.*3. *de virtut.* solùm sciens, vel credens voluntatem Prælati, ferventer exequitur pro præcepto.

ILLIUS PRÆSTANTIA.

Obedientia, quæ Christianis omnibus communis esse debet, excellentia reliquis virtutibus moralibus præstat, Religione excepta. Siquidem sola virtus est, quę alias virtutes menti inserit, incertasque custodit, ut *S. Gregor. lib. ult. Moral. c.*12. ait: quia videlicet ex motivo obedientiæ homo ad omnium virtutum functiones impellitur, per quas quidem functiones illæ virtutes augentur, & conservantur.

Non est tamen præstantior Theologicis, & religione, quia hæ cum Deo immediatè mentem conjungunt, & ad reliquas H virtutes se extendunt, fides dirigendo, spes, & charitas imperando: immò non modò ad præcepta, sed etiam ad consilia respiciunt.

Obedientia autem Religiosa priore perfectior est, cùm per eam homo in vitæ suæ directione usque in finem se subiiciat alteri

alteri propter Deum, deferendo propriam voluntatem, arbi-
A trium, & consequenter omnia solatia, quæ ab his homo accipere consuevit. De hac autem magis propriè obtinet illud Samuelis ad Saulem, melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum 1. *Reg.c.*15. Licet enim oblatio victimarum sit actus religionis, tamen subjectio voluntatis suæ sub Deo, in qua consistit ratio obedientiæ, est etiam actus religionis, si fiat ex voto, aut reverentia erga divinam majestatem: vel charitatis, si studio gratificandi Deo exhibeatur.

Deinde res quæ hic exhibetur, est nobilior. Nam ut rectè *Gregor.l.ult.Moral.c.*12. Locum Scripturæ exponit, Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur, id est, propter Deum deseritur.

Adscribam hic rationem eruditam *S.Thomæ* Aquinatis, quam habet loco suprà allegato, *art.*3. Inter virtutes morales inquit, tanto aliqua potior est, quanto aliquis magis aliquid contemnit, ut Deo inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum, quorum infimum sunt exteriora bona, medium autè
B sunt bona corporis, supremum autem sunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Eò ideò per se loquendo laudabilior est Obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Unde etiam quæcunque alia virtutum opera, ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiant, ut obediatur voluntati divinæ. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad impletionem divinæ voluntatis, quòd certè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent, sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur enim 1. *Joan.*2. quòd qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Qui autem servat verba ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est. *Hæc S. Thomas.*

Necessitas.

Obedientiæ necessitatem Scriptura passim inculcat. Primò cùm obediendum Deo esse docet, ejusque leges servandas. Sic *lib.*1.*Reg.cap.*15. ait Samuel Propheta. Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius ut obediatur vo-
C ci Domini: In quem locum *S.Greg.l.6.c.*2. *Moral.* Quid est, inquit, quòd dicitur, vult, ut obediatur voci Domini, nisi quia omnia bona opera postponenda sunt his bonis quæ jubentur?

Per *Jeremiam* corripit Populum Deus, nunquid non accipietis disciplinam, ut obeditis verbis meis, dicit Dominus? *cap.*35.

Christus Adolescenti interroganti, quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Iterùm. Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite. *Matth.*23.

Virgo benedicta cum filio existens in nuptiis in Cana Galilææ, dicebat ministris, ut facerent quodcunque ille præciperet. *Joan.*2.

Apostolus Paulus monet Hebræos, ut obediant præpositis, & illis subjaceant. *cap.*13. *Epist.ad eosdem.*

Et *Petrus* 1.*epist.c.*2. Subjecti estote, inquit, omni creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum.

D De obedientia autem, quam servi dominis, filii parentibus, uxores maritis debent, multa in particulari scripsit Apostolus Paulus, *in epist.ad Ephesios cap.*6.

Et confirmatur hæc obediendi necessitas ex suppliciis variis, quæ prævaricantibus legem, & præcepta, cùm sua, tum Superiorum Deus commiatur, & frequenter intulit: Item ex variis bonis quæ obedientibus præstitit, prout ex subjectis historiis demonstrabitur.

S.Hieron. necessitatem obedientiæ *epist.*4. eruit ex ipsa natura, & rerum conditione. Nullas ars inquit, absque magistro dicitur.

Etiam muta animalia, & ferarum greges Ductores sequuntur suos. In Apibus Principes sunt. Grues unam sequuntur. Item Imperator unus, unus Judex Provinciæ. Omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In navi unus Gubernator. In domo unus Dominus. In quovis grandi exercitu unius signum, & jussio expectatur. Per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam, te non tuo arbitrio dimittendum: E sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina Patris. *Ita S.Hieron.*

OBEDIENTIÆ FRUCTUS.

Varii obedientiæ fructus in Scripturis, & Patribus numerantur.

Primus, quod sit mater, custosque virtutum, ut illam appellavit supra *S. Augustinus.* Cùm quo convenit illud *B. Gregorii* dictum *in* 35. *libro Moralium.* Sola virtus est Obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, incertasque custodit. Unde & primum homo præceptum, quòd servaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret.

Nec mirum quòd sit parens virtutum, quia inobedientia fuit parens omnium vitiorum. Sicut enim ait ad Romanos Apostolus, per obedientiam unius hominis peccatores con- F stituti sunt multi. Rectè multi, non omnes, quia ii tantùm per meritum Christi justificantur, qui obedientiam Christi imitantur. Christus siquidem, ut est in *epist. ad Hebræos*, tantùm obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ.

Secundus fructus est, quòd valeat ad vincendum seipsum, omnesque cupiditates, ac etiam dæmonum machinationes. Unde *Salomon*: Vir obediens loquetur victorias. Et *S. Gregor. libro* 4. *Regum.* Victimæ sunt obsequia obedientium, quia cùm hominibus pro Deo subiicimur, superbos spiritus superamus: Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfectè subiiciunt, ipsi lapsis per inobedientiam Angelis dominantur.

Quòd autem valeat ad vincendam carnem, ejusque cupiditates, docet Augustinus *in Psalm.*143. Caro tua, conjux tua, familia tua, quidlibet deputato, opus est subiiciatur, & si pugnas, ut profis pugna. Hoc enim expedit, inferius subiici superiori, ut & ille, qui sibi subiici vult, quod est inferius, se subiiciat Superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid justius, quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi. Servi tu ei, qui fecit te, ut tibi ser- G viat, quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo.

Tertius fructus est, quod valeat ad veram sapientiam comparandam, unde Propheta David ait: A mandatis tuis intellexi. Quæ verba exponens *S. Augustinus*: Aliud est, inquit, mandata tua intellexi: aliud est à mandatis tuis intellexi. Nescio ergo quid aliud se significat intellexisse à mandatis Dei, quod est, quantum mihi videtur faciendo mandata Dei, pervenisse se dicit ad earum rerum intelligentiam, quas concupiverat scire, propter quod scriptum est: Concupisti sapientiam, serva mandata, & Dominus præbet illam tibi, ne quisquam præposterus, antequam habeat humilitatem obedientiæ, velit ad altitudinem sapientiæ pervenire, quam capere non potest, nisi ordine venerit. Audiat ergo. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper. Sic homo ad occultorum sapientiam pervenit per obedientiam mandatorum.

Quartus fructus est, quòd apud Deum sit maximi meriti. Id scimus duobus maximè exemplis. Alterum est Patriar- H chæ Abrahæ. Unde Deus initio ei dixit in Genesi: Ego pro tector tuus sum, & merces tua magna nimis.

Alterum Christi Domini, de quo cùm Apostolus dixisset: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; mox subjecit. Propter quod & Deus exaltavit eum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Eodem vergit quòd in epistola ad Hebræos scripsit. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum. Ubi, (propter,) causam profectò indicat meritoriam. Nam *S. Augustinus* hunc locum tractans. Humilitas, ait, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium, sed hoc factum est in forma servi. *Et Chrysost. in Epist. ad Philippenses.* Extremam Christus præstitit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem.

Quintus,

Quintus, & postremus fructus est obedientia Religioso-
A rum, quòd eos eximat ab innumeris molestiis, & curis, quas indies expriuntur, qui in seculo suo arbitratu vivunt. Religiosi enim omnium rerum suarum curam in humeros Superiorum coniiciunt, & quasi infantes aliorum ulnis se gestari sinunt, ac quasi dormiendo iter ad cœleste regnum conficiunt. Muneri enim Rectorum incumbit, omnia necessaria, tam in temporalibus, quàm spiritualibus, suo tempore, loco & ordine cuique providere.

Unde B. Climachus: Obedientia, inquit, est perfecta abnegatio propriæ animæ, & corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis est iter facere dormiendo, suo onere aliis imposito, & super aliorum ulnas, ne mergaris, natare.

OBEDIENTIÆ CONDITIONES, SIVE PROPRIETATES.

De obedientia perfecta, quam Religiosam dicimus, est sermo. Cujus potissimùm tres conditiones, sive proprietates recensentur, cæcitas, fortitudo, promptitudo.

B Debet primùm obedientia esse cœca. Id dupliciter Primò, ad imperfectiones, & vitia superioris, ut ea non consideret, nec ob illa minus parere velit; verùm consideret eum, cujus locum ille tenet. Hoc enim significavit Dominus, quando voluit auscultare, & obedire Pharisæos iis, qui super cathedram Moysis sedebant, *Mat.c.*13.

Cujus rei elegantem historiam scribit *Herodot. lib.*2. *hist. circa finem*, de Amasio, qui ex plebejo factus erat rex Ægypti, cum enim quidam antiquæ nobilitatis imperium detrectarent, jussit ex pelvi aurea, in qua ipse, immò & domestici pedes de more lavabant, conflari idolum, simile illi, quòd ab Ægyptiis adorabatur, moxque solemniter in templo collocatum adorari. Quod cùm proceres omnes, etiam dyscoli illi, promptè fecissent, rex palàm declaravit idoli materiam, quodque cùm esset vilissima, propter sublimiorem honoris gradum, etiam omni honore digna esset habita. Idem de se cogitarent, qui licèt obscuro loco natus, ad regalem dignitatem evectus esset. Idcòque etiam non materiam, sed formam spectandam in illo esse.

Secundò, debet esse cœca ad rationes præcepti scrutandas, ut nempe non inquirat causa illius aut voluntatis, quæ fuit in præcipiente. Debet enim verus obediens Pastori tanquam
C ovis obtemperare. Unde *S. Gregor. lib.*2. *c.*4. *in* 1. *Reg.* Vera obedientia ait, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, &c. Nescit enim judicare, quisquis perfectè dicit obedire.

Quoad reliquas obedientiæ dotes sive conditiones, variæ ex sunt, ad duas tamen superstites aptè reducuntur. Et quoniam omnes in Abrahæ Patriarchæ obedientia reperiuntur, eam nonnihil excutiemus. Et quidem obedientiæ conditio altera est, ut fiat promptè, & libenter.

Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle, ut possit dicere: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, paratum quodcunque præceperis facere, paratum ad nutum citius obedire, paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cœlestium contemplatione requiescere. Amabilis sociis, omnibus officiosus, & nulli onerosus, devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, domini servus, proximi socius, mundi dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. *Bern. sup. Can.*

Perfecta obedientia legem nescit: terminis non arctatur,
D nec contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur spontaneo vigore liberalis: alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.

Sic Abraham Deum vocantem illicò secutus est. *Cassianus* jobet, ut in Monachis nulla præter Superioris voluntatem voluntas vivat.

Tertia conditio est, obedire simpliciter, quod fit, cùm judicium nostrum submittimus judicio superioris. Exiit enim Abraham, nesciens quò iret, ita Petrus, & Andreas vocati à Christo, non hæsitantes, non solliciti unde viverent, non considerantes quomodo rudes homines prædicatores fieri possent, sine mora secuti sunt Christum. Crede tibi salutare, quidquid monasterii præpositus præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, & implere, quæ justa sunt, dicente Moyse: Audi Israel, & tace, inquit, S. *Hier.ad Rust.& S. Greg.* Nescit judicare, quisquis perfectè didicerit obedire.

Quarta conditio est, obedite hilariter. Abraham enim cum E Sara, Loth, rebusque omnibus lætus exivit ex Vr. *S. Basil. in Constit.monast.* Apostoli, inquit, submissa mentis cervice obedientiæ jugum subierunt, alacrique animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces in varias neces processere. Hanc obedientiam præstet monachus.

Quinta est, obedire humiliter. Deo enim ardua præcipienti, humiliter subjecit se Abraham, dicens cum Psalm. Nonne Deo subjecta erit anima mea? Et: Ut jumentum factus sum apud te. Hinc non obtendit senium patris, non viæ molestias, &c.

Sexta est, obedire viriliter, & constanter. Abaham enim viriliter superavit omnes difficultates cognatorum, & itinerum, ut obedire Deo. Rectè *August.lib.*1. *soliloq.*15. Constanter, inquit, Deo crede, eique te totum committte, quantum potes: ita enim ipse te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi profit, etiamsi nescias.

Septima conditio est, obedire indifferenter. Indifferens enim erat Abraham, ut iret, quocunque eum vocaret Deus. Deo enim se totum resignabat. Nihil gratius Deo possumus offerre, quam ut dicamus ei, cum Isaia, Posside nos, ait *S.* F *Aug. in Psalm.*131.

Scribit *Cassian.lib.*4.*c.*10. Tabenensiotas monachos sic universa complere, quæcunque à superiore fuerint præcepta, tanquam si à Deo cœlitus sint edita.

Octava est, obedire perseveranter. Abraham enim tota vita peregrinatus est in Chanaan, ut obediret Deo. Ita Christus obedivit usque ad mortem, & quidem mortem crucis. *Phil.*2.

GRADUS OBEDIENTIÆ QUATUOR.

Ex dictis colligi possunt 4. Obedientiæ Gradus.

Primus est, exequi exterius, quod præcipitur.

Secundus est, voluntatem suam omnino subiicere voluntati Superioris, ita ut libenter facias propter Deum, quidquid ipse mandaverit.

Tertius est, subiicere judicium suum judicio Superioris, credendo id melius esse, vel meliorem exitum habiturum, quod ipse jusserit.

Quartus, hæc observare non solùm in iis, quæ strictè præcipit, sed etiam quæ non præcipit, sed solùm fieri desiderat.

OBEDIENTIÆ PERFECTÆ G

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Abraham, ut Deo obediret, patriam domum, cognationemque reliquerat, se, suosque omnes circumcidi sustinuerat, denique filium unicum, uniceque dilectum suis immolasset manibus, si Deus, quod jusserat, impleri voluisset. Non dixit: in Isaac mihi promissum est semen: quare nunc puer adhuc occidi mandatur? Non dixit, Quomodo unici filii sanguine infelix pater manus polluam? Tacitus jussa exequi maturat, ut discas, non discutiendum esse mandatum eorum, qui præsunt, sed perficiendum. *Gen.*12.*&c.*

Saul jussus disperdere Amalechitas, bello superatos neci dedit. Agag autem regi eorum pepercit, Deoque inobedientiæ crimen ulciscente, sublatum est ab eo regnum, & traditum alteri. Non enim Lex impletur, nisi tota servetur. Cui autem ille pepercerat, eum Samuel Prophetam coram adductum, frustatim concidit, ut crudelitatem pietatem esse doceret, dum H obsequium præstatur Deo 1. *Reg.*15.

Propterea quidem & Achab Rex puer Prophetam à Domino arguitur, quòd devictis Syris regem eorum Benadad dimiserit illæsum, cùm morte dignus esset, & dicitur illi: Erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. 3. *Reg.*30.

Ille quoque, qui eundem Prophetam, ut sibi vulnus infligeret ex Dei voluntate imperantem, ferire noluit: à leone laceratus inobedientiæ pœnas dedit. Alter verò obediendo percutiens, servatus est. Hinc apparet, quàm grande nefas sit, ut alicui mortalium parcas, Deo omnium Conditori, ac Domino obsequi nolle. *Ibid.*

Jehu verò rex Israel, cùm omnes, qui de domo Achab regis erant, jussu Domini interfecisset, continuò audire meruit: Filii tui usque ad quartâ generationem sedebunt super domum Israel. Itaque obedientiæ ejus meritum filiis etiam, posterisque

corum

eorum usui fuit. Quartæ enim generationis hujus extitit finis
A in Zacharia filio Jeroboam, Sellum filio Jabes regnum occupante, 4. *Reg.* 20.

Amasias rex Juda, cùm adversum Syros expeditionem parasset, viro Dei obediendo, exautoratis, atque dimissis centum millibus militum, quos conduxerat de Israel, cum triginta millibus suorum copias hostium invadens superavit, cum utraque multitudine simul vincendus, nisi parvisset. Cæterùm hac elatus victoria, cùm ejusdem Prophetæ monita contempsisset, à rege Israel Joas victus captusque, cognovit quantum sibi prius profuerit obedisse, cùm tantùm posteà non obedisse nocuerit. 2. *Paral.* 25.

Rechabitæ patris Jonadab institutionem secuti, vinum non bibunt, domos non ædificant, non serunt, non plantant sed in tabernaculis semper vagi, peregrinantesque habitant. Et si illi tam difficilia patris præcepta impensè coluerunt, quàm iniquus est, qui multo faciliora, levioraque Dei mandata servare contemnit? Hinc proposita eorum obedientia, Judæorum inobedientiam per Prophetam increpans Dominus, alteros captivitatis jugo affligendos minatur, alteros autem semper suo fruituros conspectu repromittit. Et si sic remunerantur, qui obtemperant patri, quantò magis, qui parent Deo
B *Jerem.* 35.

Qui custodierint Sabbatha mea, inquit, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

Nunc Evangelii exempla, proprias voluntates cruci affigentes aggrediamur. Mirabilis in primis jam à principio Apostolorum obedientia fuit. Nondum Christum miracula facientem conspexerant, nondum cœlestis regni retributionem per illum futuram audierant, & statim ut vocavit eos, relictis omnibus, ipsum secuti sunt, atque ita eidem adhæserunt, ut nulla deinde adversitate, nullis persecutionum tempestatibus avelli, separarique potuerint. Qui enim semel gustaverit, quàm suavis est Dominus, omnes alias suavitates facilè contemnet.

Sed neque tunc parvum obedientiæ specimen dedere, cùm in deserto turbæ discumbenti jussi cibos apponere, quinque panes, & duos pisces, id est, totum, quod habebant, nihil sibi reservantes, porrexerunt. Siquidem ipsi fame periclitari, quam
C necessitatem excusando, Domino suo non statim obtemperare, malebant. Et quoniam lubenter paruerant, multò plura collegerunt, quàm obtulerunt.

Cùm deinde ad insinuandam gentibus veritatem destinarentur, & supplicia, & neces sibi perferendas didicissent, nunquid quò minus obedirent, exterriti sunt? In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et cùm verberibus, minisque agitarentur, ut tacerent, responderunt: Obedire oportet Deo magis; quàm hominibus.

Ipse quoque Dominus, ut nobis obedientiæ suopte exemplo præberet documentum parentum obsequio subdi voluit. Et erat (inquit, Evangelista) subjectus illis, & hoc quidem cùm jam sapientia, & ætate, & gratia proficeret apud Deum, & homines, ne puerorum more blanditiis aut metu subjectum fuisse putes. Non fuit infirmitatis, sed pietatis, & liberi gratuitique obsequii ista subjectio.

Qualiter autem & cœlesti Patri obsequendum esset monstravit, cùm diceret: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Et: Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me Patris. Et: Descendi de cœlo, non ut fa-
D cium voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Et ad Patrem: Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu. Dimisit voluntates hominis, & Dei Deus, & homo christus, ut discamus divinam voluntatem semper humanæ præferre, & carnis affectum spiritus affecti subjugare. Denique Apostolus de illo: Humiliavit, inquit, semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Quòd autem Episcoporum, Abbatumque, & aliorum, qui præsunt, jussa, mandataque sine cunctatione capessenda sint, etiam cum nobis minus rationis habere videbuntur. Petri Apostoli exemplo patet: Non lavabis mihi pedes in æternum, inquit, indecens, & indignum ratus, ut Dominus fungatur officio servi, & servorum quasi dominorum suorum lavet pedes. Sed quòd indecens esse non poterat, quicquid ille juberet, mox intellexit, cùm audivit se non habiturum partem cum ipso, nisi lavari permitteret. Ideò protinus obediens exclamat. Domine, non tantùm pedes, sed & manus, & caput. Nos igitur quicquid Præpositi nostri nobis injunxerint, prius exequi quàm causas inquirere curemus. Præpositorum enim videtur, ut cujus officium est obedire, is de Seniorum sententia judicet.

Historica.

Paulus Monachus cognomento Simplex, Antonii discipulus, cùm primitus mysteriorum ignarus quæsisset, esset ne Prophetis prior Christus? ineptam interrogationem silentio diluere jussus, triennio tacuit. Post hæc cum multa illi absurda, & supervacua experiendæ tantùm obedientiæ causa imperarentur, veluti necessaria perficere nunquam distulit, sicuti aquam haurire, & hausta effundere, vestes disuere, & easdem dissutas iterùm consuere, & alia hujusmodi, quæ ille non quòd frivola, futilisque essent, sed quòd jussa, perpendens, libenter exequebatur, diligenterque implebat. *In vitis PP. & Pallad. in Laus. hist.* 28.

Interseramus adhuc aliquod inobedientiæ exemplum, ut quantum hæc nocuerit, tantùm obedientia ipsa profutura noscatur.

Frater quidam ægrotans in Monasterio Scythi, cùm adire civitatem pararet curationis gratia, & Moyses Abbas à propositio illum deterreret, simulque prædiceret, si discessisset, F
fornicatione polluendum. Injussu ejus abiit, & mulierem quę languenti ministrabat, cùm convaluisset, vitiavit. Quantò il-
B li melius erat morbo periisse, quàm peccato? Mori timuit, & multò graviorem mortem incurrit, dum obedire negligit. *In vitis PP.*

Idcircò quidam Joannes Abbas in Scythia, quem Sol iratum non vidit, ex hac vita ad meliorem migraturus, præcipuum Discipulis suis documentum relinquere volens, nunquam quicquam fe ex sententia sua egisse dixit, sed Seniorum: nunquam aliquid docuisse, quòd prior ipse non fecisset. Hoc erat propriæ renuntiare voluntati, & in docendo nihil præsumere. In hoc ille summam penè virtutum putavit, qui dum decederet, fratres suos plura monere necessarium non esse censuit. *In vitis PP.*

Joannem alterum apud Lycum Thebaidis oppidum commorantem, obedientiæ virtus eo provexit, ut futurorum precium faceret. ☞ *Vide infrà Obedientia cæca.*

Aliud deinde obedientiæ ejus periculum facere volens, cùm multi adessent promptitudinis ejus in obsequendo fama exciti, mandavit ut de cellario lenticulam, quæ olco plena erat, proferens per fenestram proiiceret: tantillum illis olei erat, & qui-G
dem in deserto, ubi is liquor neque mutuò sumi, neque emi poterat. Concitus tamen ipse, non inopiæ, non loci rationem ducens, quod jubebatur, perfecit. *Ibid. cap.* 25.

Albinum Andegavensem Episcopum, dum adhuc adolescens in monasterio degeret, & ad perficiendum Abbatis mandatum pergens, effusum repentè imbrem sub testo declinasset: eo procellæ vi divulso, ac perpluente: cæteris qui illuc convenerant, haud parum madefactis, ipsum solùm aqua non aspersit. Mirabantur omnes, & cum audissent eum ab Abbate missum iter facere, miraculum obedientiæ merito imputarunt. O prægrandis virtus, quam inanimatum elementum ita reveritum est, ut attingere non auderet; *Greg. Turon. de glor. Conf. cap.* 96. *Sur. Tom.* 2.

Gulielmus Aquitaniæ quondam, & Provinciæ dominus posteà verò ita humilis monachus, ut nihil tam parvum, neque tam infimum esset, quod se indignum judicaret, dum id sibi faciendum Abbatis autoritas injunxisset. Jussus ergo aliquando panes coquere, cùm jam cœnæ tempus instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumvertit, sed scopam, H
qua prunas everteret, locumque ponendis Panibus aptaret, non habuit. Insiliens ergo in fornacem melote pro scopa est usus. Tum demum coctos panes fratribus nihilo tardius quàm res poscebat, attulit, nulla corporis aut indumentorum parte læsa, ut propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem. Factus erat hic quidem de Aquitaniæ Provinciæque domino Monachorum furnarius, sed de Monachorum furnario factus est regni cœlestis perpetuus possessor, terræ regibus major, Dei Angelis par. *Theubaldus, & alii. Sur. Tom.* 1.

Bercharius Luxoviensis Monasterii Abbas, antequam prę-
esse cœpisset, singularem apud omnes obedientiæ suæ commendationem miraculo duxit, dum vinum de cado in urnam traheret, ab Abbate vocatus, relicta urna festinus cucurrit. Vinum verò sicuti fluebat, repleta urna, non est effusum, sed sic stetit, ac si gelu concretum esset, donec ille reversus cadi foramen tereti in mucronem ligneolo obturavit. Tunc qui ade-
A rant, haud dubitarunt, quin hoc illis alacris admodum, atque impigræ obedientiæ merito contigisset, ut qui se totum Abbati voluntati libenter tradiderat, ad ejus votum fluentis naturæ liquor pro tempore suspensus prostiterit. *Vincent. in Spec. hist. lib.* 24. *c.* 144. 145. *Sur. Tom.* 5.

Gallus Columbani Abbatis discipulus, & Hildeboldus Diaconus, piscicolos, quos de flumine retiaculo traxerant, in solitudine assaturi, ignem concinnabant, cùm interim Ursus miræ magnitudinis propius accedens, Diaconum quidem terruit, sed Gallo jubente, ut ligna igni inferret, obedivit. Hoc ideò sane hic referendum duximus, ut qui Præpositis suis reniti audent, tali exemplo magis confundantur, quando & sylvestræ feræ jussa Sanctorum revereantur, & observent. *Sigeb. de viris illustrib. cap.* 71. *& alii.*

Sic & D. Hieronymo Ursis etiam bellua ferotior Leo obsequium præstitisse dicitur. Asellum monasterii ad pascua educere, pascentemque comitari suetus, agasonis fungebatur officio. Sed asello amisso, jussus ipse ligna dorso deferre, onerari se multa, cum mansuetudine patiebatur, donec posteà inventum ante se ad monasterium agens reduxit. Ecce bruta animalia Seniorum jussis obsequuntur, & homo ratio-
B nis capax audet refragari. Certè quisquis eorum restiterit imperio, iis jam dictis exemplis, feris belluis asperior, irrationabiliorque convincetur. *In vita Hier.*

Id oppidò cavens Marianus Monasterii Bituricensis Monachus, Mamertino Abbati ita se subjecit, ut bubulci servitio fungi jussus, non gravatim obediret, nihil vile, aut contempibile arbitratus, quod sibi agendum ille injunxisset. *Jac. de Vorag.*

Fratrem quendam refert *Cassianus* non obscuro loco natum, cùm relictis mundanæ conversationis rebus Religioni se tradidisset, sportulas venales Abbatis jussu publicè circumtulisse, unamquamque singulatim distrahendo, ea tantùm de causa, ut diutius in foro esset, & an illum tam abjecta negotiationis depuderet, longiore experientia pleniùs noscereposita generis nobilitate, sanctæ obedientiæ humilitati, ne stivam manu tenens, & aspicens retrò, ineptum se faceret regno Dei. *Cassian. de inst. lib.* 4. *cap.* 29.

Idem. autor Mutii Abbatis miram obedientiam, ac nisi veteris Instrumenti par exemplum ei astipularetur, penè incredibilem enarrat, dicens eum unico filio suo non pepercisse, ut Abbati obediret. Una enim cum illo parvulo adhuc Monasterium ingressus, ut cellulis dispararentur, sustinuit, & cùm puer de industria in conspectu ejus increparetur, verberaretur, miseris acciperetur modis, neque lachrymis, neque clamoribus ejus moveri potuit, ut verbum unum proferret. Denique simulata in puerum indignatione Abbas, patientiam pariter, obedientiamque Mutii, quàm maximo probaturus argumento, jussit ut arreptum filium efferret, & in proximum flumen suffocandum jactaret. Nihil moratus, ille unicum ut mergeret tulit, sed quibus negotium datum erat, cùm ad ripam fluminis ventum esset, sese opponentes inhibuerunt. Post hæc Abbati revelatur, Mutium Abrahæ Patriarchæ obedientiæ merito comparandum, dignumque, cui post se Monasterii cura committeretur. Cùm hoc ita sit, quis dubitat, quin Præpositorum jussa perinde servanda sint, ac Dei, parique sedulitate adimplenda? *Ibid. cap.* 7.

Hinc & Lambertus Trajectensis Episcopus, cùm invidorum malignitate Episcopatu motus ad Monasterium
D Scabolaiense confugisset, monachalem servans vitę modum, & nocte quadam ad orandum è lectulo desiliens, percusso pedibus pavimento strepitum fecisset: Abbas eò quòd silentii ea hora erat, quasi subindignè id ferens, voce sublata ait, ut quisquis illud culpæ commisisset, continuò ad crucem exiret, non antè quàm diei crepusculum esset, reversurus. Crux autem ipsa extra Monasterii septa sub dio erecta stabat. Repentè igitur Lambertus sicut nudis pedibus adhuc, & cilicio tantùm indutus erat, abiit, & hoc quidem brumæ tempore, ut multi mirarentur, quomodo algore contractus non expirasset. Mane semivivum reduxerunt, & Abbas veniam petiit, affirmans nunquam se purasse, hoc Monachorum aliquem facturum, nedum Episcopum. Ideòque joco, magis quàm seriò, verbum protulisse. Hac tamen obedientiæ subjectione Lambertus meruit & in Episcopatus sui sedem restitui, & tandem Martyrio coronari. *Godescalc. & alii Sur. Tom.* 9.

Non minus constantis, licèt minus prudentis, obedientię
E est exemplum, quod sequitur. Joannes Abbas, Eremique Scythi cœconomus, ficus de Marcote Lybiæ sibi muneri missas, duobus Adolescentulis ad senem quendam procul in ulteriore deserto manentem, deferendas dedit. Quos dum iter agerent, nubilosa circumfundit caligo, ita ut quò pergerent, nescirent. Per vastam igitur errando solitudinem, diem, noctemque consumpsere, senis cellula nusquam inventa. Cumque dui expectati, non redierent, reperti sunt positis genibus animas efflasse, illibatis ficubus quas secum tulerant. Siquidem inedia perire, quàm Abbatis prævaricari mandatum, maluerunt. Quàm id rectè nescio, cùm mandantis voluntas, non eò tenderet, ut innocentes discipulos fame conficiveller, & escam, quam in manibus habebant non gustarent: illi ramen stupendæ cujusdam constantiæ præbuerunt exemplum.

Columbanus Abbas Gallo Discipulo inobedientiæ crimen objecisse dicitur.

☞ *Vide infrà Obedientia nulla, & Inobedientia.*

Venerii quoque Monachi obedientia non est silentio involuenda, cùm & ipsa plurimis decumento esse possit. Hic solitariæ vitæ cupiditate ardens, inscio Abbate discesserat, tugurioluque sibi posuerat in deserto. Cæterùm à Sancto Romualdo reprehensus, quòd absque Præpositi sui permissu monasterium reliquisset, ideòque casso, & infructuoso labore F
ipsum cœlum versus niti, quamdiù inobedientiæ premeretur gravitate, non distulit quin statim ad Abbatem suum rediens, & culpæ veniam rogaret, & in solitudine vivendi copiam. Utroque impetrato, jam certiore promerendi spe Christo solitarius servivit. Igitur ex Beati Romualdi sententia, & Venerii exemplo faciet, quisquis ad districtioris vitæ institutum, non nisi eo, qui præest, consulto, ac permittente, transierit.

Alterius nunc sexus exempla perpauca subjungam, ne modum excedat oratio. Elizabeth regis Hungarorum F. adeò una omnibus ferè affluxit virtutibus, nolens ne in ipsa quidem mariti domo, suo vivere arbitrio. Conradum mendicum, & religiosum senem sibi magistrum asciverat, cujus imperio, ac nutu in viam Domini dirigeretur. Igitur die quadam illo jubente, ut ad audiendum Dei verbum Ecclesiam peteret, Marchionissæ Mesenensis improviso superventu præpedita ire omisit, ne si tantùm fœminam modò domi acceptam tam citò reliquisset, parum honori habuisse videretur. Non accepit excusationem Conradus, & ut inobedientiæ culpam flagellis diluerit, mandavit. Continuò illa positis vestibus, linea tantùm tunica, quæ nuditatem tegeret derelicta, ipso spectante tamdiù se loris diverberavit, donec idem ut cessaret, præcepit. Minus obsequiosi animi argumentum edidisset, si tunc G
ad Ecclesiam, cùm jussum fuerat, accessisset. Levi in re non obedivit, ut in multò difficiliore se obedientem probaret. *Conrad. Concion.*

Euphrosyna Virgo Pafnutii Alexandrini filia (Smaragdus Monachus dicta, & credita) quoniam illi multus in vultu decor inerat, quocumque se verteret, omnium in se oculos convertebat. Hanc ob rem ne fratrum mentes Deo intentas præsentia fua labefactaret, jussa est cellulæ suæ januam ultrà non egredi, sed ibi humanis pariter divinisque diffungi officiis. Paruit non libenter minus quàm constanter, octo & triginta annos carcerem passa perpetuum. Tunc tandem quòd fœmina fuisset deprehensum est, cùm defunctæ corpusculum de more lavarent. O patientiam animi incredibilem, qua sustinuit tanto tempore sexum vestibus, se cellula tegeret, ut & Christo serviret, & Abbati obtemperaret. Quanti autem meriti esset apud Deum, miraculo patuit. Frater quidam cadaver osculatus, oculum quem olim amiserat, integrum recepit. Illa igitur quæ obediendo oculis omnium se subtraxerat dum viveret, mortua posteà, solo tactu reparare erutos poterat. *In vitis PP.*

☞ *Vide distinctim, qui, quibus, & in quo obediverint. in Loco de Religione, ubi agitur de cultu hominum religiosa, quæ ad præsentem locum opportunè transferri possent, & quædam exhinc eo reduci.*

UTILITATUM OBEDIENTIÆ

EXEMPLA.

Ut obedientiam, quæ cæterarum virtutum culmen est, tanto libentius promptiusque sectetur vir religiosus, quorunda gesta, quibus per hanc enituere virtutem, proponam.

Ac primo loco abbatem Joannem, qui commoratus est jux-
A ta Lyco (quod est oppidum Thebáidis) quique propter obe-
dientiæ virtutem ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic uni-
verso orbi claruit, ut Regibus mundi hujus merito suo red-
deretur illustris. Nam cùm in extremis, ut diximus, Thebai-
dis partibus commaneret, non antè præsumebat Theodosius
Imperator ad præpotentium tyrannorum bella procedere,
quàm oraculis illius animaretur, atque responsis. Quibus con-
fidens velut cœlitus sibi delatis, trophæa de bellis desperatis,
atque hostibus reportabat. *Joan. Cassian. lib.4. de Inst. renuntiantium cap.23.*

Aliud hujus rei mirabile exemplar fuit Beatus ille Dosi-
theus, qui à vita deliciosissima, & molli veniens, nullis divi-
narum rerum doctrinis imbutus, brevi tempore in summam
perfectionem provectus est, dum unicam obedientiam am-
plectitur, & propriam voluntatem abscindit: Quem tandem
Deus gloriosissimum ostendit, nec passus est ipsius virtutem
in obscuro esse. Uni enim ex sanctissimis illis Senioribus revela-
tus est, & visus inter Divorum aliorum catervas, unà cum
illis perfruens beatitudine. *Ex doctrina 1. Dorothei Abb. de Renunciat. Biblioth. PP. Tom.2.*

Illud verò magnum, & quo comparatio etiam cum reli-
B quis virtutibus appareat, quo in Patrum historiis legimus;
cùm duo germani fratres in monasterio quodam viverent, Al-
ter obediendi, alter castigandi corporis studiosissimus: hunc
quidem, ad alterius sanctitatem explorandam mandasse, ei
ut in fluvium crocodilis refertum descenderet: quod cùm im-
pigrè fecisset, ita ut immanes illæ belluæ accurrerent, & qua-
si blandiendo corpus ejus oblingerent; paulò autem post cùm
in humanum cadaver incidissent, prece communiter facta, ex-
citatum esse à morte, eamque laudem cùm sibi abstinens ille
tacitis cogitationibus arrogaret, severius objurgatum esse ab
Abbate, cui revelatum fuerat, non illius jejuniis, sed alterius
obedientiæ beneficium illud à Deo donatum fuisse. *Pier. Plat. lib.2. de bono stat. relig. c.3.*

B. Thomas Aquinas cùm Lutetiæ Theologiam magna
cum laude doceret, visum fuit ejus Superioribus, ut doctora-
tus etiam laurea insigniretur; ille præ sua modestia detrectare
cœpit eum honorem, prætendens tum doctrinæ, ut ipse qui-
dem de sentiebat, tenuitatem: tum etiam ætatis adolescen-
tiam, ut qui nondum vigesimum complesset annum. In qua
cogitatione versans, nocte quadam visus est videre, cùm ob
hanc causam uberius fleret, astitisse sibi virum vultu gravi, &
C venerabili, qui ejus tristitiæ causam scisciatus, jussit illum se-
curè, & intrepidè majorum suorum justa exequi: eam enim es-
se ipsam Dei voluntatem: quin etiam admonuit, ut pro oratio-
nis, quam in eo gradu accipiendo habiturus erat, themate, il-
lum psalmi versiculum accideret: Rigans montes de superiori-
bus suis. Quibus ille ita confirmatus est, ut omnem timorem,
ac trepidationem deponeret. *In ejus vita apud Sur. Tom.2. Apr.7.*

CONDITIONES VERÆ OBEDIENTIÆ: Nempe

Ut sit fortis.

Ad confirmandam obedientiam monasticam Deus etiam
non raro miracula ostendit. Scribit *Sulpitius* in dialogis de
virtutibus S. Martini in hunc modum: Duo, inquit, vobis refe-
ram incredibilis obedientiæ admodum magna miracula, licèt
plura suppetant recolenti, sed ad excitandum virtutum æmu-
D lationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt.
Ergo cùm quidam sæculi actibus abdicatis, monasterium ma-
gnæ dispositionis ingressurus, cœpisset rogare, Abbas ei
cœpit multa proponere, graves esse istius disciplinæ labores,
sua verò dura imperia, quæ nullus facilè valeret implere pa-
tientia, aliud potius monasterium, ubi facilioribus legibus
viveretur, expeteret, non tentaret aggredi, quod implere
non posset. Ille verò nihil his terroribus permoveri, sed ma-
gis ita omnem obedientiam polliceri, ut si eum Abbas in
ignem ire præciperet, non recusaret intrare. Quam illius
professionem ubi magister accipit, non cunctatur probare
profitentem. Casu clibanus propter ardebat, qui multo
igne succensus coquendis panibus parabatur, exundabat ab-
ruptis flamma fornacibus, & intra camini illius concava to-
tis habenis regnabat incendium; hoc igitur advenam illum
jubet magister intrare. Nec distulit parere præcepto, me-
dias flammas nihil cunctatus ingreditur: quæ mox tam auda-
ci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cessere
venienti. Superata natura est: fugit incendium: & qui putà-
batur arsurus, velut frigido rore perfusus se ipse miratus est. E
Sed quid mirum, si tuum, Christe, tyronem ignis ille non attri-
git, ut nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum
pœniteret imperio paruisse? qui eo die, quo advenerat, dum
tentaretur infirmus, perfectus inventus est, meritò felix, me-
ritò gloriosus, probatus, glorificatus est passione. *Sever. Sup. 1. dial. de vita S. Mart. c.12.*

Cæca, et Stabilis.

In eodem monasterio factum id, quod dicturus sum, re-
centi memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatē
recipiendus advenerat, cùm prima ei lex obedientiæ poneretur,
ac perpetim polliceretur ad omnia vel extrema patien-
tiam, casu Abbas storacinam virgam jampridem aridam ma-
nu gerebat, hanc solo fixit, atque illi advenæ id operis im-
ponit: ut jamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec,
quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo
arente virescceret. Subjectus advena duræ legis imperio aquam
propriis humeris quotidiè convehebat, quæ à Nilo flumine
per duo ferè millia petebatur, jamque emenso anni spatio
labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non F
poterat, tamen obedientiæ virtus in labore durabat: Sequens
quoque annus vanum laborem jam affecti fratris eludit: ter-
tio demum succedentium temporum labente curriculo,
cùm neque noctu, neque interdiù aquarius ille cessaret opera-
tor, virga floruit. Ego ipsam ex illâ vigula arbusculam, quæ
hodièque intra atrium monasterii est, ramis virentibus, vidi,
quæ quasi in testimonium manens, quantum obedientia me-
ruit, & quantum fides possit, ostendit. *Idem ibid. c.13.*

Prompta.

Huic subjungam illud de Mauro S. Benedicti discipulo.
Quadam die, inquit *Gregor.* dum venerabilis Benedictus in
cella consisteret, Placidus puer sancti viri monachus ad hau-
riendum de lacu aquam egressus est; qui vas, quod tenuerat, in
aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo secutus est.
Quem mox unda rapuit, & penè ad unius sagittæ cursum eum
à terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus
hoc protinus agnovit, & Maurum festinè vocavit, dicens:
Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam
perrexerat, in lacum ceccidit, jamque eum longius unda trahit. G
Rex mira, & post Petrum Apostolum inusitata: Benedictione
etenim postulata, atque percepta, ad patris sui imperium con-
citus perrexit. Maurus itaque ad eum locum, quo ab unda de-
ducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cu-
currit, eumque per capillos tenens cursu rapido rediit. Qui
mox, ut terram tetigit, ad se reversus post tergum respexit, &
quia super aquas cucurrisset agnovit: & quod præsumere non
potuit, ut fieret miratus extremut factum. Reversus itaque ad
Patrem, rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus
hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cœpit: è
contra Maurus ejus imperio factum dicebat: ieque conscium
in illa virtute non esse, quam nescius fecisset. In hac itaque
mutua humilitatis, & amica contentione, accessit arbiter puer
qui ereptus est, qui & dicebat: Ego cùm ex aqua traherer, super
caput meum melotem Abbatis videbam, atque ipsum me ex
aquis educere considerabam. *Greg. Dial. lib.2. c.7.*

Libet attexere memorabile factum Marci à posteris omni-
bus laudati. Cùm Marcus monachus plus à Silvano Abbate
diligeretur, quam alii discipuli propter obedientiam: atque id
ut solet condiscipulos livore pungeret, vicini senes ad Silva-
num venerunt exploraturi causam hujus amoris singularis. H
Quos inquit auctor, assumens secum Abbas Silvanus egressus
est de cella sua, & cœpit singulorum suorum cellas pulsare, di-
cens, frater veni, quia opus te habeo: & unus ex eis non est mox
secutus eum. Venit autem ad cellam Marci, & pulsavit, dicens:
Marce, ille autem cùm audisset vocem ejus, statim exivit fo-
ras, & misit eum ad quoddam ministerium. Abbas ergo Silva-
nus dixit Senibus, ubi sunt cæteri fratres? & ingressus est in cel-
lam Marci, & invenit quaternionem, quem eadem hora in-
choaverat, in quo litteram O faciebat, & audita voce Senis
non fixit, neque gyravit calamum ultrà, ut impleret, & cóclu-
deret litteram, quam in manu habebat, & dixerunt Senes.
Verè Abba, quem tu diligis, & nos diligimus, quoniam &
Deus diligit eum. Exclamat ad hoc factum Trithemius? O fi-
lium perfectæ obedientiæ! Qui maluit dimittere opus quam-
cam

cam, moram facere in obediendo. *Vitæ Patr. l.2. de Obedient.*
A §. 5.

De Columbano Abbate id certè fertur memorabile: Cùm
in Luxoniensi cœnobio, quod ille fundaverat, omnes fere
ægrotarent, eò accessit, nec alio usus est medicamento, nisi
quòd omnes ad aream vocavit, ad fruges in solis æstu triturandas. Res dura, præsertim tam graviter decumbentibus, qui ne
quidem consistere possent. Itaque nonnulli, Prudentiores vi-
deliceet, & cautiores lectulo sese tenuerunt, alii obedientiæ stu-
dio ad opus statim accurrerunt: atque hi quidem omnes ita
statim omni morbo liberati sunt, ut ne reliquiæ quidem, aut
vestigium ullum permaneret. Illi verò longas tarditatis, ac
diffidentiæ suæ pœnas dederunt, toto anno cùm febribus con-
flictati, ut quidem eos reprehendens, atque objurgans apertè
prædixerit Columbanus. *Plat. de bono stat. relig. l.2. c.5.*

Magnus ille vir Simeon Stylites, sive Colomella, sanctæ,
& celebris recordationis, qui primus stationem in columna
invenit, angelorum vivendi institutum imitatus, rebus, nego-
tiisque omnibus nuncium remisit, & vi naturæ illata ad su-
blimia aspiravit, atque medium inter cœlum, & terram domi-
cilium super columna bicubitale undequaque sibi finxit, ut ex-
tra turbam, & tumultum omnem positus, Deum glorificaret,
B & perpetuis cum angelis hymnorum laudibus celebraret. Ubi
verò terrenus iste angelus, atque etiamnum in carne supremæ
illius Hierusalem civis, & incola, à nemine anteà irritam, no-
vamque planè viam ingressus est, summos montium vertices
incolentes patres perbenignè erga eum animati, delectos ex eo-
rum numero quosdam ad eum misere, eique hæc renuntiare
jusere: Quid sibi vult insolens hæc, & peregrina habitatio?
cur tritam hanc, & sanctis ferè omnibus caleatam viam relin-
quens, aliam quandam, & prorsus ignotam semitam inisti? Il-
lud præterea mandatum eis dedere, ut descendere illum, & ele-
ctorum patrum vestigia sequi jubeant. Ac si quidem promp-
tum se, ut ex columna descenderet, præberet, permittere ei,
ut quam vellet vivendi rationem persequeretur, præceperunt.
Obedientiam namque ejus, si Deus instituti ejusceemodi dux
esset, declaraturam esse censuerunt: sin cupiditati ipse suæ in-
serviret, & contra sibi nitendum esse duceret, neque celeriter
statim mandatum hujusmodi exequeretur, pedibus vi arrep-
tum illicò detrahere jusserunt. Ut illi ad eum venerunt, &
Patrum mandatum exposuerunt, confestim ille altero pede
prolato, ad descendendum, & absque ulla deliberatione, &
dissensione, ad præceptum eorum implendum promptus, parat-
usque fuit, & gratias illis egit, qui tantam de eo gererent cu-
C ram, veluti quidquam præter voluntatem, & sententiam Dei
facere occcepisset. Porrò illi eum in instituto, quod sibi propo-
fuerat, permanere sunt passi; potestati ejus permittentes, ut
quem cœpisset cursum, teneret, illud insuper adiicientes: Fort-
is esto, & viriliter age. Videris namque divinitus ad hanc vi-
vendi viam productus esse, ante ignotam. Itaque deinceps ma-
gna ille concepta fiducia, cœptum id magis est prosequutus.
Niceph. Call. Eccl. hist. lib.14. cap.51.

☞ *Plura pete ex præcedentibus.*

Humilis.

Hujus humilis obedientiæ, & propriæ voluntatis abnega-
tionis aliud exemplum subiicio. Virgo quædam in monasterio
degens, & divino amore flagrans, cùm aliquando immenso di-
lectissimi sponsi sui Jesu Christi desiderio teneretur; sic illum
ex toto corde suo allocuta est: O unice fili Dei, amabilis Re-
demptor animæ meæ, utinam vel ad momentum te in hac vita
cernere possem. Ad quæ verba mox astitit illi ipse Dominus
D noster Jesus Christus in forma cujusdam pueruli. Contigit
verò, ut una ex fororibus congregationis januam cellæ illius
devotæ virginis pulsaret, eamque cum festinatione ad commu-
nicandum opus ex obedientia faciendum accerseret. Audiens
virgo jussionem obedientiæ, puerulo Jesu ait: En dulcissime
Domine mi Jesu Christe, pro explenda obedientia abeo, tu
interim me hic expecta, obsecro, si tibi placet, donec ad te re-
dire liceat. His dictis, è cella exiit, & quod facere jussa erat, ani-
mo voluntario, hilarique vultu peregit. Deinde cum magna ce-
leritate ad cellam reversa est. Quam cùm aperiret, mira quæ-
dam, & radiantissima lux oculis ejus se ingessit, adeò ut vix
eam sustinere posset. Vidit igitur amantissimum Dominum
suum in perfecta ætate tanquam elegantissimum juvenem vi-
ginti, & quatuor annorum astantem. Unde ipsa maximo gau-
dio repleta ita eum affatur: O dilecte mi Jesu, quomodo tam
grandis tantillo tempore factus es, qui tam pusillus apparebas,
cùm à te recederem? Dic obsecro, dic, unica spes mea, qui id
factum sit. Cui pius, ac dulcis Jesus respondit: O filia charissi-
ma, profunda velocis, atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas E
me tam brevi tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei
amore libentet obedi, si mihi continuè sine medio optas uniri.
Lud. Blos. in Apol. pro Jo. Taulero c.6. Matt. Gel. in 4. præcept. decal. c.20. Lanspergius conc.3. de Ascen. pag.29.

Hoc loco non prætermittendum illud, quod cuidam Seridi
Abbatis Discipulo contigit; qui ab eò in proximam villulam
missus est ad expedienda, quæ opus fuerant, cùm se sentiret in
concupiscentiam propriæ filiolæ sollicitari, exclamavit unicam
hanc vocem: Deus Patris mei, libera me: statimque sese apud
viam Scetiam reperit, qua reversus ad Patrem suum est. Videte
potentiam virtutis; contemplamini vim verbi; quantum scili-
cet afferat auxilii paternis precibus sese dedere: ipsorum enim
ille similia locutus est verba, Libera me, Deus, per Patris mei
orationes. Considerate humilitatem, & observantiam ambo-
rum; erat uterque dubius, & anxius. volebatque Senex Fra-
trem ad monasterii necessaria dimittere, nec tamen, ut iret, im-
perare voluit, sed utrum proficisci vellet, percontatus est. Non
item Frater respondit; Eo, sed, quidquid jusseris, faciam, Pa-
ter. Hinc enim scandala verebatur: hinc Patris inobedientiam
formidabat. Ad hæc igitur Senex: Exurge, ait, & actutum per-
ge. Recedens Frater dixit: Spero in Deum, quia me proteget, F
& orationibus Patris mei, quia me tuebuntur, Sicque cùm in
tentationem incidisset, & Deum in auxilium vocavit, & patris
sui orationes. Atque ita paternis orationibus fretus uterque ve-
ster: en, quemadmodum obedientiæ humilitatem conjunxere.
Ut enim currus uno equo non satis commodè trahitur, nisi &
alterum apponas: ita obedientia humilitatem conjugatam sibi
deposcit. Qua sanè gratia, & virtute haberi nemo dignus po-
test, nisi antè consuescat præcidere, & amputare propriam vo-
luntatem, & seipsum post Deum, Patri suo dedere, atque ab
eo nulla in re postmodum dissentire; sed omnia ipsius arbitrio
facere, ea fide, & certitudine, ac si Deo in cunctis, non homini
pareret. *Doroth. Abbas de Renunciat. doctrina 1. Biblioth. PP. Tom.2.*

Perseverans.

Narrare licet, inquit, *Doretheus Abbas doct.1. de Renunt.*
vobis miraculum alterum, quod ætate mea factum est, ut in-
telligatis tantam esse obedientiæ, & abnegate voluntatis vim,
quæ à morte quoque eripere, & liberare hominem possit. Cùm
essem quandoque apud Abbatem Seridum, ad eum profectus
est ab oris Ascalonicis Monachus ab Abbate suo, cum man-
datis missus: imperatum autem ei à Seniore fuerat ad vespe-
ram omnino rediret. Interim oborta est immensa tempestas, G
imber maximus, tonitrua horrenda, videbaturque torrenti si-
milis ea inundatio. Volebat infelix reverti urgente Senioris
præcepto; nos verò è contra cohortabamur expectare sere-
nitatem, asserentes periclitari illum maximè in tantis aqua-
rum eruptionibus. Non acquievit ille nobis ullo pacto, ut ma-
neret. Decrevimus igitur eum ad usque flumen subsequi, spe-
ctantes ipsum, cùm illud vidisset, emendaturum consilium,
& reversurum. Eò autem postquam unà pervenimus exutus
ille vestes cas cervici collectas imposuit, & accinctus scapu-
lare suum sese dedit præcipitem in torrentem, statimque narare
cœpit. Formidantibus autem nobis ne mergeretur subitò ad
littus alterum, (mirabile dictu) conspectus est, & resumptis
denuo vestibus à nobis impetrata venia discessit. Nos autem
plus, quam dici queat obstupuimus mirati virtutis vim, & po-
tentiam: Nobis enim vix in eum sine tremore contuentibus ip-
se solus intrepidus absque ulla formidine, & periculo enatavit
fretus obedientiæ merito. H

☞ *Advertat Lector multa hoc argumento apud Zuingerium tradita esse in Loco de Relig. Tit. Cultus hominum religiosus, quatenus scilicet ad illum pertinet; ut Superioribus obediatur, quæ nos ibi reliquimus, ut varietas tædium levet, quamvis nonnulla horum eo etiam Loco repetantur.*

* OBEDIENTIA MORTUORUM.

S. Acacius, seu Innocentius erat, in quodam Asiæ cœno-
bio: primamque ingressus adolescentiam genus vitæ religio-
sum est complexus. Commissus autem erat seni cuidam valdè
importuno, & negligenti, à quo tam indigna tulit, uti multi su-
pra fidem ea forte sint existimaturi. Modò enim oculum atro
cruore suffusum, modò cervicem læsam, modò caput plagis
contusum ostentabat. Exacto ergo cùm illo immani sene no-
vennio, ad Dominum migravit, & in cœmeterio inter reliquos
patres

patres est humatus. Adiit hujus moderator, tetricus ille senex
A alium quendam magnæ pietatis virum inter alios ibi degen-
tem, cui senex: Frater noster Innocentius est mortuus; quod
ille cum credere non videretur, Veni, inquit, & vide. Ambo
ergo cœmeterium petunt, ubi venerandus ille pater mortuum
tanquam adhuc viveret, compellavit: Frater Innocenti, in-
quit, esne mortuus? Ille verò promptè solitus obsequi, etiam
post mortem obedientiam declaravit; & ad magnum illum
patrem: Quomodo, inquit, venerande pater, fieri potest, ut
homo obedientiæ deditus moriatur? Tum senex ille, qui In-
nocentii fuerat magister, rei miraculo attonitus, cum lachry-
mis se in terram prostravit, juxtaque Innocentii tumulum do-
micilium sibi collocavit, ubi reliquum vitæ tempus religiosè
transegit, patribusque transeuntibus, se semper homicidam
appellavit. Divinus ergo hic Innocentius in hujusmodi labo-
rum patientia beatam transegit vitam, eamque tam beatè po-
stea concluſit. Venerandum porrò ejus corpusculum cœlesti
virtute ab omni labe intactum, & incorruptum multis annor-
um spatiis est servatum. Accidit olim, ut illius cœnobii inco-
læ monachi tempore messis ad segetem colligendam exirent
omnes, duobus tantùm in monasterio relictis, altero ægro-
to, altero, qui tutelam gereret domus. Interim evenit, ut
B æger vita defungeretur, custos ædium cùm solus tumulum fo-
dere, & curare cadaver non posset, aperto admirandi illius
Innocentii monumento, defunctum fratrem ibidem, cum S.
Innocentio collocavit. Postero die cùm ad sepulchrum revi-
seret, fratris pridiè sepulti cadaver extra conditorium reperit
rursumque in eodem monumento reponit. Sed cùm postri-
die idem eodem modo iterùm cadaver extra S. Innocentii se-
pulchrum offenderet, cœpit custos ædium, homo nempè
minimè malus, expostulare cum S. Innocentio: Audivi, in-
quit, S. Innocenti, te olim in vita præter alios omnes obse-
quentissimum fuisse: at nunc, ut video, refractarius es factus,
immò & superbus, ut qui fratrem non admittas in societa-
tem sepulchri, sed eiicias illum: aut ergo permitte, ut tecum
requiescat, aut si illum iterùm ejecceris, ego te quoque non
feram, sed ex tuo te sepulchro eiiciam. Itaque cadavere de-
nuò impositò abit. Alteraque luce reversus illius quidem fra-
tris corpus, quod imposuerat, in tumulo cernit, sed S. In-
nocentium non vidit ampliùs. *Ex Monæis Græcorum Matth.*
Radar. in Vividario Sanctorum. Idem habet Joann. Climach.
grad. 4. de Obedientia.

De simili obedientia aliud scribit *Franciscus Gonzaga. 3.*
C *parte de Origine Seraph. religionis*: Fuit, inquit, semel soror
quædam nomine Berengaria, quæ humilitatis ergo, culinæ ob-
sequiis sua sponte sese omnino dederat. Cùm autem semel in
monasterio S. Claræ Villæ-comitis de eligenda Abbatissa inter
sorores ageretur, illarumque plures ad id munus assumi con-
tenderent, cœpit unaquæque figillatim, altera inconsulta,
præfatæ Berengariæ sorori, quæ nihil minus cogitabat,
votum in mente offerre (existimabat unaquæque se so-
lam id facturam: nam propter nimiam ejus humilitatem,
inepta omnino ad id munus obeundum ab omnibus habeba-
tur) ne dum alteri votum porrigit, illam in Abbatissam
eligatur. Et ecce dum ad calculum vota reducuntur, omnia
in præfatam Berengariam conveniunt, consentiuntque. Qua
denique sic electa, ac tandem à Prælato confirmata, monia-
les sic divina voluntate deluſæ, ei obedire detrectabant. Quam-
obrem ipsi primùm Capitulum de religioso more celebranti,
paucissimæ adfuere. Illa verò cum maximo spiritus fervore
ait: Quandoquidem meæ sorores mihi obedire renuunt,
meque legitimam earum Prælatam aspernantur, surgite vos,
quę hoc in loco dormitis, mihique paretote. Ecce ex tempo-
D re septem monales, quæ ibidem sepultę erant, ex suis locel-
lis egredientes, præsto sibi fuere, nec prius recesserunt,
quàm illis ab ea imperatum fuit. Quo facto exterritę reli-
quę, quę sibi tergiversabantur, multo dociliores redditę
sunt. *Francisc. Gonzaga. 3. part. in Provinc. Portugalliæ monaster. 14. Clarissarum.*

* OBEDIENTIA BELLUARUM, ITEMQUE RERUM INANIMATARUM.

Leonis.

Narraverunt nobis quidam Patrum in Sina ve Abbate Sergio Anachoreta: quòd cùm moraretur in Sina constitue-dat illum dispensator super burdones. Cùm ergo die quadam properaret, ecce Leo jacebat in via. Porrò Burdonarii, bur-
donesque viso leone timore correpti recesserunt. Tunc Abbas
Sergius fumens de pera unam benedictionem profectus est ad E
leonem; dixitque ei: Accipe benedictionem Patrum, & rece-
de de via, ut transeamus: sumptaque leo benedictione recessit.
Joan. Evitratus in prat. spirit. cap. 25.

In statu justitiæ originalis omnia animantia quantumvis
fera hominis imperio erant subjecta. Quòd idem obtinuere
multi viri sanctitate prediti. *Theodoretus* scribit, admirandum
monachum Simonidem, mortificandi sui causa, se in spelun-
cam inclusisse, & orationi noctu, diuque, omnibus commodi-
tatibus exclusis vacasse, solisque herbis victitasse. Unde à Deo
gratiam obtinuit, ut Bestię ad nutum illi parerent. Cùm ali-
quando in eum incidissent viatores, qui à recta via aberrarant,
cuperentque sibi eam demonstrari, jussit eos prestolari, donec
bini leones accurrerent: qui accepto mandato magna man-
suetudine duces se itineris illis præbuere, donec rectam viam
attigissent. *Theodoret. in hist. relig. cap. 6.*

Lupi.

Norbertus Archiepiscop. Magdeburgensis, cuidam pue-
ro ovium pastori petenti sibi gregis custodem canem dari, re-
spondit: Cùm lupus advenerit, rapueritque ex grege aliquid, F
jubeto ei nostro nomine, ne quid attingat. Simplex puer ob-
B sequens mandato securè degebat. Contigit interim Lupum
ovem rapere; puer memor præcepti, post lupum accurrens
clamitabat, ut domini ovem dimitteret, sic dominum præci-
pere. Lupus, ô admirandam Dei benignitatem, ovem illæsam
dimittit. Id memorat *Hugo Præmonstrat. Abbas*, qui illius vi-
tam conscripsit, *c. 37. In vita ejus apud Sur. Tom. 3. mense Junio.*

Serpentum.

Quidâ Fundensis monasterii monachus, cui excolendi hor-
tos cura erat, cernens in eò oleta partim pedibus conculcata,
partim sublata furto, & reperto aditu, quo fut ingredi consue-
verat, Serpenti præcepit, ut illum custodiret, nec inde nisi jus-
sus discederet. Proh pudor! Irrationale animal servo Dei obe-
divit, homo damnum irrogare non dubitavit: fur ergo per vi-
sus cum serpentem conspexisset, præ timore se retro ferre vo-
luit, & pede vepribus implicato pronus pependit, donec ab ip-
so olitore superveniente expeditus fuit. *Greg. Mag. lib. 1. dialog.*
cap. 3.

Ranarum. G

Quod loci frigiditas efficit, ut ranæ obmutescant, hoc etiam
efficit piorum virorum virtus, cùm id quoque jubent. Sic *S.*
Ambros. lib. 3. de Virginibus non longè à principio se fecisse
commemorat: Frequens, inquit, fermo est, cùm plurimam Ra-
narum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, Sacer-
dotem Dei præcepisse, ut conticerent, ac reverentiam sacræ de-
berent orationi, tunc subitò circumfusos strepitus quievisse.
Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale ani-
mal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat:
hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre na-
sciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati:
Hactenus Ambrosius opportunè loquacitatem hominum inter
divina reprehendens, *D. Ambros. lib. 3. de Virgin. sub initium.*

Solis.

Creaturæ etiam sensuum expertes servis Dei paruisse com-
periuntur: sic Sol diutius ad præceptum Mutii radios suos emi-
sisse legitur, his verbis: Mutius Eremita in Thebaidis deserto H
ex impiissimo latrone ethnico factus Christianus, per Dei vi-
sionem cùm ægrotantem ex fratribus longè absentem novisset,
sese itineri dedit, ægrum invisurus, in eremi ipsius interioribus
partibus; cùm autem eò pervenire non posset, jam sole ad oc-
casum vergente, qua hora etiam ægroti mors instabat, ut dies
itineri sufficeret, jussit Mutius Soli in nomine Domini nostri
Jesu Christi, ut staret, donec eò perveniret, admirantibus om-
nibus circumquaque ejus eremi incolis, Sole eodem climate
tamdiu perseverante; quin & non pauci, audito miraculo, ad
Mutii disciplinam conversi sunt. *Ex vit. Patr. part. 1. de presb.*
Coprete. Sim. Majolus colloquio 1. sive Meteora 9.

Fluviorum.

Nihil obest homini fidem verè sectanti, sistuntur ubique
Flumina, ac velut serviunt illi imperanti. Fidem rei attuit
Gregorius Thaumaturgus. Cùm enim Lycus rapidissimus flu-
vius

vius accolis quotannis summam inferret cladem, agros, peco-
A ra, ipsam denique gentem demergens, baculum in ripa de-
fixit Gregorius, jubens flumini, ne constitutum ibi terminum
præteriret; invenit vir sanctus in fluvio obedientiam, & in li-
gno quoque impacto virtutem: nam & crevit in arborem, &
ad usque Gregorii Nysseni tempora ab omnibus confluenti-
bus miraculi causa spectabatur. *Greg. Nyssen. in ipsius Thau-*
maturgi vita cap. 12.

PROEMIA OBEDIENTIÆ.

Ex S. Scriptura.

Isaac Abraham filius summam est laudem assecutus, quòd
patri immaturam necem afferenti minimè restitit, nec gla-
dium avertit, quem pater senio confectus juveni haud imbe-
cilli ferio, & constanter admovisset, nisi vox Angelica impe-
dimento fuisset, quæ seni de tam splendido opere gratulata est,
& pium, obedientemque juvenem conservavit. Factum ex eò
est, ut nec vitam amitteret, nec obedientiæ præmio careret:
ad multam enim provectus est senectutem, qui pueritiæ suæ
non pepercit. *Gen. 22.*

Etiam alii. qui ex priscis, seu veteris testamentis partibus
B obedientiæ laude floruerunt, amplissima commoda tam tem-
poralia, quàm spiritualia cum ea sunt consecuti. Abrahamum
quòd mandato valdè arduo de immolando filio parvisset,
Deus per angelum in hæc verba allocutus est: Per memeti-
ipsum juravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo
unigenito, propter me benedicam tibi, & multiplicabo semen
tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore ma-
ris, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terrę, quia
obedisti voci meę. *Gen. 22. v. 16. Gen. 15. v. 1.*

Jesus Nave filius, inquit, *B. Ephrem*, perfecta sua obe-
dientia tantum donum promeruit, ut Moysis successor fieret.
Jos. 1. Et Samuel per obedientiam, quam Heli sacerdoti præ-
stitit, dignus habitus est, qui vocem Dei audiret. *1. Reg. 3.*
Elisæus verò hujus adminiculo pallium, & gratiam sui acce-
pit magistri. *4. Reg. 2.*

Ipse Christus, quia obediens fuit usque ad mortem, mortem
autem crucis, Deus exaltavit eum, & dedit illi nomen, quod
est super omne nomen ait *Paulus*, qui etiam ad Hebr. *cap. 2.*
vers. 9. scripsit: Videmus Jesum propter passionem mortis
gloria, & honore coronatum. Unde *Sanctus Chrysostomus*
in epist. ad Phil. homil. 7. Extremam Christus præstitit obedien-
C tiam, propterea accepit & supremum honorem. Hoc exem-
plum ad imitandum proponunt *S. Aug. tr. 84. in cap. 15. Joan.*
Greg. 35. mor. c. 10. Bern. super missus est hom. 1. qui ait: Disce
homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare.
Et: Erubesce superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exal-
tas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens ho-
minibus tuo te præponis auctori *&c.*

Fecit Noe omnia, quæ mandaverat ei Dominus, ideò à di-
luvio salvatus est. *Gen. 6. & 7.*

Promptè obedivit Joseph patri ad fratres eum mittenti,
quamvis prius eos accusasset, & Deus exaltavit illum.
Gen. 37.

Obedivit Moyses Domino, imponente regimen populi (li-
cèè quinquies se excusset) unde magnificatus est. *Exod. 34.*

Filii Israel per desertum ambulantes, cùm ad imperium
Domini erigerent tentoria &c, ad imperiu ejus deponerent, om-
nia benè illis successerunt, cùm vero Domino prohibente ad
terram promissionis ascendere conati sunt, ab hostibus percussi
sunt, ut & cuntes ad bellum contra mandatum Domini multi
D victi sunt à paucis, cum verò ex obedientia pugnarunt, pauci
vicerunt. *Num. 9. Num. 14. 21. & 31.*

David licèt per Samuelem esset unctus in Regem, tamen
obediebat patri mittenti eum, ut portaret cibum fratribus, un-
de omnia ei prosperè successerunt. *1. Reg. 15. & 17.*

Tobias junior auditis exhortationibus patris respondit,
omnia, quæcunque præcepisti mihi, faciam pater, & quia obe-
diens fuit, bene ei successit. *cap. 5.*

Quidquid præcipiebat Mardochæus, observabat Esther,
ideò in Reginam assumpta est. *Esth. 2.*

Qui prophetant, ut sibi vulnus infligeret ex Dei voluntate
imperantem ferire noluit, à leone laceratus inobedientiæ pœ-
nas dedit. Alius verò obediendo percutiens servatus est. *3.*
Reg. 20.

De Jehu, & Amasia. ☞ *Vide suprà, exempla Obedientiæ.*
Jer. 35. c. Promittit Eles, Rechabitas, quia patris sui institu-
tionem secuti fuerant, suo semper conspectu fruituros.

Cæcum illum Evangelicum (exemplo suo præeuntem) du-
cem sequamur, qui cum luto facto ex sputo inunctus oculos E
audisset à Domino: Vade, lava in natatoria Siloe, quod in-
terpretatur missus, abiit, & lavit, ideòque venit videns, quàm
promptè obedientiæ mercedem expressit, dum rogatus à popu-
lo dixit: abii, lavi, & vidi. ☞ *Vide suprà, utilitatem obedien-*
tiæ exempla.

Historica.

Notus est Joannes ille, qui à suo Abbate, & quidem joco
jussus, ut lœnam comprehenderet, ipse ferio aceipiens, non
solum non expavit irruentem, sed etiam fugientem insequutus,
iteratis vocibus Abbatis sui nomine sistere jussit, captamque,
ac ligatam ad monasterium perduxit. *P. Platus lib. 2. de bono*
status religiosi, cap. 5.

Alius filium in accensam fornacem ex Abbatis imperio con-
jecit, & salvum recepit: quem quidem in filio offerendo Abra-
hæ virtutem constat imitatum esse, in recipiendo autem mira-
culi magnitudine etiam superasse.

De alio Joanne aridum stipitem irrigante. ☞ *Vide supra*
Conditiones obedientiæ. §. Cæca.

Climachus narrat de juvene Innocentio, quòd cùm obedien-
tiæ magnopere vivens studuisset, deinde è sepulchro compel- F
latus, an mortuus esset, responderit magna voce, Mori non
posse obedientem.

De Columbano. ☞ *Vide suprà Virtus obedientiæ.*

Cùm Dux Vasconum Gulielmus. ☞ *Vide supra. Exem-*
pla obedientiæ.

Obsequiorum simplicitate Joannes apud Lyrum, Thebaidis
oppidum, cujus suprà meminimus; prophetandi donum con-
secutus in magnis bellorum difficultatibus Theodosium prin-
cipem ne cum hoste congredi timeret, suis animavit oracu-
lis, certissimo victoriæ eventu: ita ut ille deinceps certamen
nullum iniret, nisi ipso consulto. Itaque qui olim omnibus
Abbatis sui justis fuerat obsecutus, ejus deinde responsis obe-
divit Imperator. *Cassianus de institut. lib. 4. cap. 23. vide eun-*
dem cap. 25.

Magnus Macarius Abbas, cùm aliquando conspexis-
set dæmonem oneratum ollis, quibus varia esculenta conti-
nebantur, percontatus eum est, in quem usum tot ollæ
servirent, ille verò divina virtute constrictus celare veri-
tatem non potuit, dixitque se variis illecebris monachos,
uti non omnium idem est palatum, tanquam escis à cul-
tu virtutis ad vitium allicere: addebat unum inter cæteros
magnum suum amicum esse, quem illicò quotiescunque vel-
let, posset in suam sententiam trahere, ejusque nomen pro- G
debat. Macarius mox monachum adiit, & deprehendit eum
deceptum, quod nimium suo judicio præsidens tentationes
non parefecisset Patri spirituali, monuitque illum si immunis
à lapsu esse velit, in posterum suo judicio non temerè fidat,
quod & fecit. Unde Sanctus Macarius, cùm postea iterùm
se videndum Dæmon obtulisset, rogavit, num monachus di-
ctus adhuc esset ejus amicus, ille verò magno furore respon-
dit non esse ampliùs amicum sed hostem. Omnes sancti Ma-
carii monachos tentabat Dæmon, sed maximam eorum par-
tem idcirco vincere non poterat, quòd proprio suo judicio
non niterentur, sed totos se Patrum spiritualium arbitrio,
consilioque regendos dedissent.

☞ *Consule suprà Titulum. Obedientię perfectę, ubi plura*
ex Marulo exempla historica recensentur.

* Apophthegmata Ethnicorum.

Solon percontatus, qua ratione salva possit esse civitas, H
respondit: Si cives obtemperent suis magistratibus, Magistra-
tus autem regibus. *Stob. serm. 45.*

Zeno Citricus celebratissimam Hesiodi sententiam solebat
invertere: Cùm enim ille primas tribuat ei, qui per se sapiat;
secundas, qui rectè admonenti obtemperet, Zeno ordine in-
verso sic pronuntiabat:

Κάτοι μὲν παντάριστος, ὅστις αὐτὸς ἐννοεῖται,
Ἐσθλὸς δ' ἐν πᾶσιν, ὃς κἀκεῖνος εὖ κόντα νοῦν.

Optimus ille quidem; qui paret rectè monenti;
Sed probus ille quoque est, qui noverit omnia per se.

Addebat causam: quòd qui ex se nosset omnia, nihil haberet
præter intelligentiam: at qui rectè monenti pareret, præter in-
telligentiam haberet etiam effectum. Nam parere dicitur, qui
quòd didicit optimum esse, facit. *Laert. lib. 7. c. 1.*

Pericles dicebat, Samios esse similes pueris, qui pore e-

ctam offulam reciperent quidem, sed interim plorantes: eò
A quod illi parerent imperatis, sed non sine tædio, & querimonia. Similiter Demosthenes dixit, populum Athenienſium esse similem iis, qui in navi nauseant. Siquidem ii cum magno tædio laborant, tandem eò pervehuntur, quo tendit navis.

MUSONIUS interrogatus, an parentibus obediendum esset in omnibus: respondit: Obediendum quidem esse, sed honestum, justumque imperantibus. *Stob. serm.77.*

Homerus in u. Iliados, & sunt verba Nestoris ad Achillem, & Agamemnonem.

Αλλὰ πιθεσθε καὶ ὑμεῖς περ ἐόντες ἀμείνονες.
Sed obedite & vos, quoniam obedire melius est.
Pythagoras.

Πρήϊοι δ' ἔχε λόγους, ἵππους τε κατοπλίσσετε.
Mitibus pare sermonibus, operibus conducibilibus.

Celebratur quoque *Ovid.2.Fast.* ubi ita cecinit:

Phyllirides puerum citharæ præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties perterruit hostes,
Creditur Annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
Verberibus jussas præbuit ille manus.

ERETRIUS adolescens quidam in patriam post longam peregrinationem reversus, rogatus à patre quid disciplinæ tanto
B temporis interstitio assecutus esset? se brevi ostensurum esse pollicetur. Verberibus igitur paulò post cæsus propter delictum admissum, patri nequaquam inobediens fuit: & ait hoc edoctum, ut parenti castiganti obediret, ejusque indignationes, ac pœnas æquo animo ferret. *Bruf. lib.4.cap.30. ex Æliano.*

SCIPIO Africanus cùm in Africa bellum gereret, ostendit viros armatos, quos secum habebat, & turrim præterea excelsam in mari, & ait: Nullum horum omnium est, qui non conscensa turri, semet in mare præcipitaturus sit, si ego jussero. Dictu profectò mirum est, in tanto exercitu militum nullum fuisse, & qui etiam in mortis periculo imperatori suo obedire recusaret. *Plut.& Erasm.lib.5.apoph.*

M. CURIUS adolescenti, qui in delectu non paruerat, bona primùm hastæ subjecit: ipsumque posteà ad tribunos appellantem vendidit, dicens: Non opus sibi esse eo cive, qui parere nesciret. *Bruf.lib.4.cap.30.*

CHRISTIANORUM.

SS. litterarum testimonio clarum est, Paralyticum, qui an-
C nis 38. in infirmitate decubuerat, jussum à Christo, qui eum sanitati restituerat, lectum tollere, & Judæis insultantibus, Sabbathum est, non licet tibi lectum tollere, respondisse: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula. Pulchrè fanè, quasi dicere voluisset: Qui me homine desperatæ valetudinis verbo sanitati restituit, tantæ auctoritatis est, ut etiam necessitate servandi Sabbathi me absolvere possit: hinc meritò illi pareo. *Joan.c.5.*

Quid verò Gentium Doctor; factus ex persecutore Christi miles, & athleta, dum in terram prostratus audiret: Saule, quid me persequeris? ait exemplò: Domine, quid me vis facere; quasi fundamentum suæ conversionis substernens, obedientiam. *Act.cap.9.*

Haud secus Cornelius Centurio viderat Angelum Dei ad se introeuntem, sibique dicentem, Corneli; ac timore correptus ait. Quis es, Domine? & paulò post ad eum ingressus Petrus, cùm visionis suæ historiam brevibus percurreret, adjecit: Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino. *Act.c.10.*

D S. PETRUS Apostolus cùm à Principibus Sacerdotum redargueretur, quod contra mandatum illorum Christum annuntiasset, nil contactus: Oportet, inquit, magis obedire Deo, quàm hominibus. *Act.c.5.*

Venerant ad visendum Pampo Abbatem Religiosi numero tres: quorum hic jejunii, ille charitatis, tertius obedientiæ laude clarus de quibus sententiam suam dicens, tertium cæteris prætulit: Unusquique vestrum, ait, virtutem quam possidet, voluntate propria retinuit: hic autem, suæ voluntati renuntians, etiam alienæ se servum fecit. *In vitis PP. c. de Obedient.*

S. SYNCTETICE verò ad suos verba faciens: Cuilibet, dicebat, in congregatione versanti, magis obedientiam, quàm continentiam proponimus: quia hæc arrogantiam habet, illa humilitatem congruam pollicetur. *Ibid.part.2.*

Quàm spectabilis in S. Francisco hæc virtus fuit? qui commissum sibi gregem instruens, quomodo Prælatorum dicto, immò nutui parere deberent, ajebat: Subditus prælatum suum, non hominem considerare debet, sed illum, pro E
cujus est amore subvectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis obedientis humilitas placet. *Sur.Tom.5.in Vita.*

INOBEDIENTIA.

Oppositum obedientiæ vitium est Inobedientia: eaque ut illa, etiam est duplex: Materialis, quæ nihil aliud est quàm prævaricatio cujusvis præcepti: & sic omne peccatum est quædam inobedientia, quomodo S. Ambrosius definit Peccatum, cœlestium inobedientiam mandatorum.

Formalis est vitium, quo contemnitur aliquod præceptum, vel præcipiens, idque ea intentione, & deliberatione, ut contemnatur. Atque hoc modo sumit suam speciem ab ipso præcepto, quod ita deliberatè violatur.

GRAVITAS.

Inobedientia ex genere suo peccatum est mortale. Sic ait Samuel, Quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Et Apostolus, qui Potestati resistit, divinæ ordinationi resistit. *Rom.13.D.* autem *Bernard.* verba Samuelis expendens 1. *Reg.*15. ubi inobedientiam dicit peccatum ariolandi, & idololatriæ, ait hoc dici, ut non jussionis simplex transgressio, sed voluntatis superba contemptio idololatria reputetur.

F

INOBEDIENTIA MANDATORUM DEI
VARIE PUNITA.
EX S. SCRIPTURA.

Gravitas inobedientiæ ex gravitate pœnæ considerari debet, quam Deus inflixit illis, qui jussionibus, ac præceptis suis obtemperare detrectarunt.

Primum, ac notissimum exemplum illius rei sunt primi Homines, quipeccinobedientiam, peccatum & mortem invexerunt in mundum, seque Paradiso fecerunt indignos, totamque suam posteritatem ærumnis maximis affecerunt, quorum inobedientia eò fuit detestabilior, ait *Aug.lib.14.de Civit.cap.*15. quod fuerit usque ad mortem.

Uxor Loth dùm contra Domini mandatum respicit. *Gen.*19. in statuam salis mutata fuit, ubi iterùm *Aug.l.16.de Civ.c.*20. ait, quod in salem conversa, fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, unde illud cavetur exemplum.

Chore, Dathan, & Abiron, Moysi obmurmurantes, & contra Domini præceptum, quòd per illum eis dabatur, facientes, vivi à terra absorpti fuerunt. *Num.c.16.*

SAUL ob inobedientiam à Deo projectus est, ne esset rex. 1.*Reg.*15. G

Propheta veniens de Juda in Bethel, quia ibi cùm alio Propheta panem comederat contra Domini mandatum à Leone occisus fuit. 3.*Reg.*13.

Etiam alius Propheta à Leone occisus est, quòd filio Prophetarum dicenti, percute me, non obtemperaverit. *Ibid.c.20.*

JONAM Prophetam detrectantem mandatum Domini, neque aer, neque navis, neque aqua ferre potuit, tandemque in mare projectus est. *cap.1.*

Populus Israeliticus propter inobedientiam ductus est captivus in Babylonem, ut liquet ex Jeremia, *cap.*34.

EXEMPLA HISTORICA.

Inobedientiæ morbus ex superbiæ timore procedens, sicut sanies ex ulcere, sic ex superbia contemptus manat. Hoc autem tribus modis mederi solet, videlicet Emplastro, unguento & Ferro, id est, Exemplo boni operis, Verbo exhortationis, & Disciplina correctionis. Cùm enim ulcus non emittit per confessionem saniem, vel ex commotione non permittit emundationem, restat, ut ferri recipiat incisionem, id est, correctionem H
disciplinæ. *Hugo de 12.abusionibus.*

Hic prætereundum non est, quod monacho cuidam Chrodobaldo nomine, monasterii S. Amandi præposito contigit, qui à S. Amando vina ad fratrum indigentiam sublevandam necessaria in monasterium deferre jussus, primò mandatum viri sancti tacitus contempsisse dicitur: deinde iniqua excusatione, quòd vehicula deessent, animi sui rebellionem purgare volens, viro Dei obviàm ire constituit: sed mox omnium membrorum ad ingrediendum officio destitutus, divinam manifestè ultionem sensit; eoque tandem deductus est, ut interclusò penè ad mortem spiritu, inobedientiæ, & contumaciæ suæ pœnam fateretur. Cui sanctus pane, & vino de sua mensa transmisso, & corporis sanitatem restituit, & à gravissimo jactantiæ, & inobedientiæ, quo diu laborabat, morbo liberavit. *Milo monachus in vita S.Amand.apud Sur.Tom.2.Febr.6.*

Postquam

Postquàm B. Aglius Rabascensis Abbas obdormivit in
A Domino, fratrum unanimi consensu Philibertus in ejus locum subrogatus est. Quem tum videre licebat humilitate pollentem, hospitalitatis studiosum, abstinentiæ deditum, prudentia eximium, charitate ferventem, zelo Dei inflammatum, domum ipsi creditam strenuè gubernantem, nullius personam accipientem, vitia reperta radicitus extirpantem. At verò quidam à fratribus, maligno spiritu eos impellente, excitata rebellione adversùs sanctum virum cum non dubitarunt ex Ecclesia extrahere: sed ultrix manus præpotentis Dei non passa est impunè id abire: Unus enim ex eis fulminis ictu interiit, alius instar Arii in sterquilinium viscera effudit, indignamque vitam digna morte finivit. Quæ res cæteris metum attulit, ita ut veniam ab illo petentes, in pristinum honoris gradum eum revocarent, & deinceps amanter ei obedirent. *In vita S.Philiberti c.4. apud Sur.tom.4. Aug.*20.

Aliud memoratur à *D.Greg.Magno*, de Pueto post sepulturam à terra projecto. Quadam, inquit, die, dùm quidam ejus (Benedicti) puerulus Monachus parentes suos ultrà, quàm deberet, diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de Monasterio exiisset; eodem die
B mox, ut ad eos pervenit, defunctus est. Cùmque esset sepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum est, quod rursus tradere sepulturæ curaverunt. Sed sequenti die iterùm projectum exterius, atque inhumatum sicut priùs, invenerunt. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currentes cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultrà projecit. *Greg. lib.2. dialog.c.24.*

Quædam eximiæ sanctitatis virgo videns in spiritu animam cujusdam Monachi pœnis purgatorii graviter torqueri, qui tamen satis probè vixisse putabatur, interrogavit Deum, quam ob causam illa anima non esset in cœlo. Cui Dominus in hunc modum respondit: Iste Monachus voluntati Abbatis, & Præpositi sui in omnibus bonis humiliter consentire, atque obtemperare noluit: displicuit enim ei quidquid Abbas faceret, existimans se sapientiorem illo esse, & melius quælibet posset agere. *Blos. spec. spirit. cap.2. lit. e.*

Quidam Frater solitus sæpè discurrere per civitatem; restri-
C ctus est à Priore suo, ita ut nisi in casu necessitatis non deberet exire conventu. Sed ipse tot causas necessitatis finxit, nunc prætexendo se vocatam ad infirmum, nunc emenda sibi pergamena, nunc candelas, nunc hæc, nunc illa, quæ videbantur necessaria, & proficua, sed sub chlamyde talis licentiæ, ibat ad alia loca sibi placita, & sic illudebat Priori, nunquam tamen sine licentia ibat. Hic verò aliquando transiens ubi erat homo arreptus à dæmone, qui graviter torquebatur, rogatus ab incolis loci, ut accederet, & per orationes, & conjurationes suas dæmonem expelleret, non valens resistere petentibus, venit ad illum: & cùm legisset initium Evangelii secundùm Joannem, & alia, quæ sibi legenda videbantur, subjunxit: Præcipio tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut exeas vasculum istud, Tunc dæmon de corpore possesso respondit: Quid tu mihi habes præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, qui nunquam verè obediens fuisti? Ille verò frater verecundatus, & confusus abscessit. Quòd si veres obediens fuisset superioribus suis, certè dæmonum illud obediens ei fuisset. *Iordan.Sax.lib.2.c.2.*

Inobedientia est non solùm non facere, quod jubetur; sed etiam aliter quàm jubetur.

D

Columbanus Abbas Gallo discipulo inobedientiæ crimen objecisse dicitur, quòd ad Legionem fluvium piscationem fecisset, quam ad fluvium Brutcam facere jussus fuerat. Gallus autem utrùm in hoc, an illo fluvio piscaretur, nihil referre arbitratus, dummodo opus, quod jubebatur peregisset, tum demum advertere animum cœpit, secùmque cogitare, quod ideò fortasse sine piscibus rediisset, quia cuncta, quæ jussa fuerant, non plenè fuisset executus. Itaque iterùm tentata piscatione, multisque in illo, quod sibi assignatum fuerat, flumine captis piscibus, didicit mandati non rem solùm, sed etiam verba singula diligentius esse perpendenda. *Ex Beda Tom.3. Marc.Maru.lib.4. cap.3.*

* Obelisscus.

E

DEFINITIO, & FORMA.

OBelisscus vox antiqua, magis nomine, quàm rei veritate deducta ab Obelus, quo vocabulo Latini vera exprimunt. Neque enim est parvus Obelus Obelisscus, sed asperrimus lapis in formam metæ exurgens ad ingentem procéritatem, & acutiem, specie quadrata in verticem se extollens, manu artificis levigatus. Cùm enim Soli à veteribus dedicarentur Obelisci, eos quoque ad modum radiorum finxerunt. Videmus quoque in plerisque, notas Hieroglyphicas formarum variarum undique incisas quibus Regum, in quorum honorem excitabantur, memoria, & vota demonstrabantur.

UBI, ET QUA DE CAUSA INVENTI.

Marcellinus scribens de urbis Romanæ splendore dicit in illa inter labra ingentia, diversasque moles, figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obelisscos plures monstrari, nonnullos jacentes, & comminutos, quos antiqui Reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus rerum summarum elati, montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutan- F
tes excisos erectos diis superis in religione dicarunt. Hæc ille. *Plinius* tradit Obelisscos ex lapide simithe olim fieri consuevisse, ac Soli dicatos radiorum formam expressisse. Obelisscos autem Romanos nulla civium cura, vel opera excisos, sed Thebis, & Ægyptiorum urbibus huc perductos, *Plin.* & *Marcellinus* testantur.

INVENTOR.

Primus, qui Obelisscum erexit, inter veteres Imperatores Rex Methres traditur, apud *Barthol. Marlianum.*

Fortassis etiam lege naturæ similem lapidum erectionem voluit indicare Scriptura, quando scribit Jacob Patriarcham lapidem erexisse in titulum. *Gen.* 28. videlicet postquam mysticam illam scalam viderat in somnis. Siquidem lapidem, in quo dormierat, elevavit, & erexit, ut esset velut monumentum, & testimonium firmum visionis, & apparitionis sibi factæ, ut ita ex Haran rediens, Dei beneficium eodem loco recoleret, prout etiam fecit, ut constat 35. *cap. vers.*3. Quamvis etiam Jacob eundem titulum, sive lapidem in altare erexerit, & consecraverit, ut *patet vers. ult.* Unde lapis iste non solùm monumentum erat, verùm etiam altare.

IN SPECIE OBELISCI. G

Romæ in Circo Maximo Obelisscus videtur LXXXVIII. pedes habens in altitudine.

Est & alius in Naumachia, adhuc obrutus tellure, CXXX. pedes, & dodrantem numerans altitudinis, præter basim, quem Augustus ex Hieropoli Ægyptiorum urbe transtulit, estque factus in duas partes, quod dicitur accidisse, cùm jussu Principis primùm erigeretur. Excisus autem putatur à Rege Semmefreto, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit.

Sunt præterea alii in urbe Obelisci, uti & in Ægypti variis locis. De quibus consule *Tit. de Prodigalitate sumptuaria*, ubi agitur de sumptu facto in Obelisscos, &c.

ERUTI, TRANSLATI.

Anno M.D. LXXXVII. Sixti V. Pontificis jussu, Vaticanum Obelisscus maximus ex loco abstrusò avulsus, & in Foro Principibus Apostolorum dicato, non minori sumptu, quàm arte, & industria collocatus fuit. Inerat enim huic Pontifici summus ardor, & cura exornandæ, & in pristinam antiquitatis formam redigendæ urbis, quod certè illo quinquennio, quo sedit, ita factum est, ut à memoria retroactorum sæculorum H
nihil simile contigerit: & illius exemplo posteriores Pontifices excitati fuerint ad perficiendum ea, quæ ille inchoaverat, urbemque magis, ac magis excolendam. Sixtum hoc versu celebrarunt.

Roma fuit quondùm rerum pulcherrima, sed nunc
Pulchrior est Sixti munere Roma sui.

Eruti fuerunt ejusdem imperio, & sumptu, è Circi maximi cavea duo Obelisci miræ magnitudinis penè confracti, quorum major, Constantii nempè Augusti, ut scriptio carminibus in ejus cippo insculptis testatur, pedum verò 112. longitudinis, in Lateranense forum, ingenti Pontificis sumptu, ingenio ductuque Dominici Fontavii Architecti è pago Mili, agri Honocomensis trãslatus, & erectus, ac sanctissimæ Crucis Salvatoris nostri ad perpetuam rei memoriam dicatus est. Alter verò minor Augusti Cæsaris, ut inscriptio in illius basi docet longitudinis pedum LXXXII. foli ab eodem Augusto dicatus, ante Basilicam

licam S. Crucis (quæ dicitur in Hierufalem) in agro Sefforia-
A no, eidemque facratiffimæ Crucis, codem Pontifice jubente, ipfoque Architecto vehente erectus, & facratus eft.

Non defuerunt Poetæ, qui ob memorabilem hujus molis tranfpoficionem Sixto V. accinuerunt hoc Epigramma:

Hanc Sixtus molem tenebrofa in parte latentem
Ad Vaticani lumina facra locat.
Magnum opus, & feclis ullis non hactenus aufum,
Et cui det plaufus invida pofteritas.
Non tamen hoc tantum mirabere, quam quod in alto
Vertice fixa vides clara trophæa Crucis.

INSCRIPTIONES.

Neque funt omittendæ infcriptiones, quibus olim Obelifci prænotati. In illis certè, quorum meminimus paulò ante infrafcriptæ reperte fuerunt. Siquidem in illo Conftantii, qui maximus eft omnium, qui in urbe fuerant translati, ejus bafe, vel cippo (ut ajunt) licèt fatis perfracto, aderat fubfequens carminibus infcriptio, à quatuor lateribus: quæ à viris litterarum prædiis, ac ingenio præftanti *Joanne Hieronymo Catena* à
B secretis epiftolis illuftriffimi Domini Cardinalis Alexandrini, & Michaele Mercato Phyfico, & à fimplicium herbarum notione, viridario fummi Pontificis Præfecto, fic fuerunt concinnati.

Pars Auftralis.

Patris opus, munufque fuum tibi Roma dicavit
Auguftus toto Conftantius orbe recepto.
Et quod nulla tulit tellus, nec viderat ætas,
Condidit, ut claris exæquet dona triumphis,
Hoc decus ornatum genitor cognominis urbis
Effe volens, cæfa Thebis de rupe revellit.

Pars Orientalis.

Sed gravior Divum fangebat cura vehendi
Quod nullo ingenio, vifuque, manuque moveri
Baucafeam molem difcurrens fama moneret.
At Dominus mundi Conftantius omnia fretus
Cedere virtuti terris incogere fuffit
Haud partem exiguam montis, pontoque tumenti.

Pars Septentrionalis.

Credidit & placido vecta eft velocius Euro
Litus ad Hefperium populo mirante carinam,
Intereà Romam Taporo vaftante tyranno:
C *Auguftì jacuit donum, ftudiumque locandi*
Non faftu fpreti, fed quod non crederet ullus
Tantæ molis opus fuperas confurgere in auras.

Pars Occidentalis.

Nunc veluti rurfus rufis avulfa metallis
Emicuit, pulfatque polos hæc gloria dudum
Auctori fervata fuo cum cæde Tyranni
Redditur, atque aditu Romæ virtute reperto
Victor ovans urbique locat fublime trophæum
Principis, & munus, condignis ufque triumphis.

In bafe verò feu cippo Obelifci Auguftì Cæfaris, qui ex eodem Circo paulò poft, eodem tamen anno erutus, quippe multo minor Conftantiano eft, tales incifæ funt litteræ, quo fequitur ordine.

IMP. CÆSAR DIVI F.
AUGUSTUS.
PONTIFEX MAXIMUS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
D POPULI ROMANI REDACTA
SOLI DONUM DEDIT.

☞ *Vide in Libro 3. hujus operis, Locum de Columnis.*

Obefi. Obefitas.

☞ *Vide Locum de* PINGUIDUS. *Item locum de* CORPORE *Tit. Affectus part. Corporis Item Tit.* CRASSITIES. OBESITAS, POENA. ☞ *Vide in Loco de Pœnis. Suppliciis, &c.*

* Oblatio.

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

OBlatio ab offerendo nomen accepit, & dicitur omne id, quod quomodolibet offertur alicui. Propriè tamen fecundum Grammaticos, & Scriptores Ecclefiafticos, accipiuntur Oblationes, ut fignificent ea duntaxat, quæ Deo offeruntur in fignum fubjectionis. Has Græci προφορὰς, vel ἀναθήματα appellant. Veteres offertumenta, teste *Festo*:

Sunt qui oblationem confundant cum facrificio, at fatis imperitè, nifi largè intelligatur facrificium. Multa enim offeruntur, quæ non facrificantur, ut primogeniti, byffus, primitiæ, &c. Deinde ad facrificium requiritur mutatio alicujus rei, non ita ad Oblationem: etiam illud exigit Sacerdotem, & altare, hæc non item.

OBLATIONES IN SPECIE VARIÆ
IN VETERI TESTAMENTO.
Utputa
PRIMOGENITORUM.

Ex quo Deus omnia Ægypti primogenita interfecit, voluit deinceps omne Primogenitum mafculini fexus fibi offerri, five immolari, conftat *Exod. c.* 13. ubi Deus, fanctifica mihi, id eft, fepara à communi ufu, ut mihi offeratur; omne primogenitum, quod aperit vulvam, id eft, quod primò matris uterum referando naturali more in lucem prodit. Unde colligitur hoc Chrifto non convenire, ut qui clauso matris utero, eumque penetrando in lucem editus fuerit. Ita *Cyril. & Hermifda*. quamvis ille eam legem etiam fervare voluerit, eique fe fponte fubjecerit, ut boni legislatoris exemplum nobis exhiberet. Voluit autem fibi fanctificari omne primitivum tam in pecoribus, quàm hominibus. Primogenitum verò afini commutari voluit Ove: quod fi non redimerent, interfici juffit. Primogenitum hominis quinque ficlis redimebatur. Hoc eft juxta *Budæi* æftimationum, quinque florenis Brabanticis. Quantum autem ad primogenita pecorum, quæ offerri jubentur, non alia pecora mandantur, quàm quæ ad facrificium adhiberi poterant. Unde non intelliguntur hic comprehendi jumenta, ut eruditè obfervavit *Corn. à Lapide in Leviticum*.

PRIMITIARUM.

Primitiæ quas ἀπαρχὰς Græci vocant, dicuntur primi fructus agrorum, & arborum, ut patet *Deuter.* 26. ubi jubentur dare primitias. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, id eft, in canaftro; veniefque ad locum quem Dominus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. Erant igitur primitiæ offerendæ, quotannis in fefto Tabernaculorum, ad renovandam Dei creatoris, & frugum largitoris memoriam, & gratiarum actionem.

Ritus autem hujus Oblationis erat. Primò ponebantur in canaftro. 2. Inferebantur in templum. 3. Elevabantur in altum. G
4. Fiebat profeffio præfcripta *c.* 26. *Deuter.* nempè in hæc verba: profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreffus fum in terram, pro qua juravit patribus noftris, ut daret eam nobis. 5. Offerebatur victima pacifica. 6. Canebantur Pfalmi, vel Hymni. 7. Sacerdos accipiebat canaftrum de manu offerentis, & ponebat ante altare Domini.

De quantitate primitiarum nihil certi conftat. Ex confuetudine tamen, vel majorum decreto, foliti fuerunt dare inter quadragefimam, & fexagefimam partem, fic ut pars quadragefima fuerit maxima, minima autem fexagefima, ut *coll. ex cap. Decimam*.

Quamvis autem jure naturali nemo teneatur ad hanc primitiarum Oblationem, tamen juri, & rationi confentaneum videtur, ut Deo prima quæque offerantur. Hinc Gentiles Romani nunquam guftabant novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes libaffent primitias, ut ait *Plin. lib.* 18. *cap.* 2. Interim confuetudine hoc jus abolitum.

ORNAMENTORUM. AURI. H
BYSSI, &c.

Jufferat Deus fieri Tabernaculum, Arcam, Propitiatorium, candelabrum, & univerfa vafa, ad opus, & miniftrium fanctuarii, ex auro, & lapidibus, lignifque pretiofis, ut conftat *c.* 25. *Exod. per totum*, ac deinde *cap.* 35. jubentur omnes apud fe feparare, id eft, feponere primitias, id eft, prima fua numera, five primam Oblationem (nullam enim communem hactenus fecerant) ad perficiendum ea quæ Deus fieri mandaverat circa Tabernaculum, & vafa illius, ubi notandum, Deum expetere aurum, argentum, æs, lapides pretiofos, coccum, hyacinthum, pelles caprarum, item materiam ad conficienda unguenta, & thymiama. Unde nullus cujufvis tandem fortis excludebatur ab hac collecta, five largitione. Poterant enim pauperes, faltem pilos offerre caprarum, & alia viliora, aut fi ea non haberent, poterant ab aliis accepta nere, & fubminiftrare artificibus.

Dicit autem Scriptura, tam viros, quàm mulieres mente devota

nota obtuliffe donaria, ut fierent opera, quæ jufferat Dominus
A per manum Moyfi. Immò tam liberaliter offerebant, ut artifices, qui operi infiftebant, dicerent: Plus offert populus, quàm neceffarium eft. Unde Moyfes præconis voce cantari juffit, nec vir, nec mulier quidquam offerat in opere Sanctuarii. Sicque ceffatum eft à muneribus offerendis. *Exodi cap.* 35.

Certè in nova etiam lege quamvis nullum iftiufmodi oblationum præceptum reperiatur, tamen conftat ex *loco de Liberalitate, Templorum exftructione, Sumptis, Item ex Loco de S. Maria*, ubi de templis illius tractatur; qua fedulò à plerifque ea fuerint frequentius præftitæ.

OBLATIONUM QUÆ OBLIGATIO.

Ad Oblationes nifi quis pacto, aut voto adftringatur, nemo tenetur præterquam certis cafibus. Primò fi decimæ non fufficiant fuftentationi miniftrorum, tenetur enim populus jure naturæ alere eos, qui divina illis adminiftrant. Modus alendi determinari poteft ex præfcripto Superioris. Quo fit, ut in benedictione nuptiarum, Exequiis, adminiftratione Sacramen-
B torum quidquam ordinariè folvatur.

Secundò oblationes, confuetudine introductæ, folvendæ funt, etiamfi non requirat eas neceffitas miniftrorum: quamvis etiam ex devotione ortum haberet ea confuetudo, quæ proinde decennio prout aliæ confuetudines præfcribi poteft.

OBLATIO SUI.

De oblatione Sui Deo facienda, frequentius veteres loquuntur. Intelligunt autem oblationis nomine, actum virtutis religionis, cujus eft proprium, ut homo proteftetur fe divinæ majeftati fubjectum, quatenus eft primum rerum omnium principium, & auctor. Eft autem duplex talis oblatio: interna, vel invifibilis, quæ eft actus voluntatis, qua homo divinæ majeftati fe, fuaque offert: Externa, & vifibilis, qua ritu externo idem præftat. Ita *Aug. lib.* 10. *de Civit. cap.* 5.

Tali oblatione Samuelem Anna ipfius mater Deo obtulit, 1. *Reg. cap.* 1. Et Virgo puerulum Jefum in templo Jerofolymitano, Simeon. *Luc. c.* 2.

Sic etiam Mater S. Bernardi filium fuum, recens natum, Deo
C obtulit, & in altari pofuit.

Neque diffimilis eft Religioforum oblatio, quando folenni profeftione in manibus prælati fe totos Religioni, ut in ea Deo ferviant, confecrant.

ETIAM RES MINIMÆ OBLATÆ
A DEO ACCEPTANTUR.

Minimarum, & quantivis pretii rerum oblationes Deo gratæ funt, quod duobus exemplis è S. Scriptura oftendi poteft.

In veteri teftamento legitur, Deus inter dona offerenda pro Tabernaculi conftructione etiam poftulaffe pilos caprarum. Omnis inquit voluntarius, & prono animo offerat Domino primitias, prout paulò antè explicavimus; aurum &c. pilos caprarum. *Exod.* 35.

In novo Teftamento exemplum habemus de vidua, quæ apud *Marcum cap.* 12. *Lucam cap.* 25. oblatione duorum dumtaxat Minutorum in gazophylacium, alios licèt magna offe-
D rentes, judice Chrifto fuperavit. Refpiciens autem Jefus, inquit Lucas, vidit eos, qui mittebant munera fua in gazophylacium, divites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus, quàm omnes mifit. Nam omnes hi ex abundanti fibi, miferunt in munera Dei. Hæc autem ex eo quòd deeft illi, omnem victum fuum, quem habuit, mifit. Ratio autem hujus rei ab omnibus Patribus illa redditur, quod Deus non tam confiderat magnitudinem rei oblatæ, quàm affectum, aliafque conditiones offerentis.

In quem locum *S. Ambrofius lib. de Viduis*, ita fcribit: Dominica voce illa vidua omnibus antefertur; de qua dictum eft. Vidua hæc plus omnibus mifit: in qua moraliter Dominus inftruit univerfos, ne quis à collatione miniftterii paupertatis pudore revocetur, nec fibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre, quàm pauperes. Uberior eft enim nummus è parvo, quam thefaurus è maximo: quia non quantum detur, fed quantum refideat, expenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui nihil fibi reliquit. Non ergo quid faftidio
E expuas, fed quantum devotione conferas, æftimandum eft. E
Denique nulla plus tribuit, quàm illa, quæ de filiorum alimentis pavit Prophetam.

D. Chryfoftomus quoque *in Genefim*, poft collaudatam viduam Sareptanam, quæ parum obtulerat Eliæ Prophetæ, fubdit: Dominus noftet, non quanta dentur confucvit attendere, fed voluntatis largitatem, & ob hoc parva etiam magna facit, & fæpè affirmat, quando non hilari promptitudine, quæ fiunt, infinuantur. Et ea propter vidua illa Evangelica multis multa in gazophylacium mittentibus, projectis duobus minutis omnes vicit, non quòd immiferit plura aliis, fed quòd liberaliorem voluntatem oftenderit.

* OBLATIO, ET ACCEPTIO.

Item.

RECUSATIO MUNERUM.

EX S. SCRIPTURA. F

ABRAHAM noluit accipere munera, quæ obtulit ei rex Sodomorum, licèt ipfe optimè meruiffet, quando reverfus fuit Abraham à cæde quatuor regum. *Gen.* 14.

Munera mifit Jacob offerri Efau fratri fuo, ut compefceret iram ejus. *Gen.* 32.

Munera obtulerunt filii Ifrael ad opus tabernaculi Domini, in tanta quantitate, quòd juffit Moyfes clamari, ut nullus aliquid ulterius offerret. *Exod.* 36.

Mercedem iniquitatis amavit Balaam, & ivit cum nuntiis Balaac, qui divinationis pretium habebant in manibus. *Num.* 22.

AJOTH obtulit munera Eglon regi Moab, & poftea fecreto loquens cum eo percuffit eum graviter, & occidit. *Judic.* 3.

Inimici Samfon pecuniam Dalilæ promiferunt, & eam, ut illum deciperet, induxerunt. *Judic.* 16.

De filiis Samuel dicitur: Declinaverunt poft avaritiam, acceperunt munera. Et ftatim fequitur: Perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8.

Non fuit impoftum Samueli, quin viginti annis populum G
Ifrael judicaverat, quòd unquam munera ab aliquo accepiffet. 1. *Reg.* 12.

Xenia, quæ obtulit Siba puer Miphibofeth David à facie Abfalon fugienti, videntur inclinaffe animum ipfius David, ad hoc, quòd contra abfentem iniquum tulit judicium. 2. *Reg.* 16.

ARAUNA voluit offerre David aerem, & omnia ad facrificium neceffaria, fed ille noluit gratis accipere, nec facrificium de alieno offerre. 3. *Reg. ult.*

Regina Saba dedit regi Salomoni centum viginti talenta auri, aromata multa, & gemmas pretiofas. Rex autem Salomon dedit ei omnia, quæ voluit, & quæ petivit ab illo, exceptis his, quæ ultrò obtulerat ei munere regio. 3. *Reg.* 10.

Rex Syriæ Benadab fœdus habebat cum Baafa rege Ifrael: fed propter munera, quæ mifit ei Afa rex Juda, rupto fœdere cum Baafa, graviter impugnavit eum. 3. *Reg.* 15.

NAAMAN Syrus fuit animo gratis ab Elifeo curatus; Giezi, qui ab eo accepit munera, fuit gravi plaga percuffus. 4. *Reg.* 5.

Mifit rex Babylonis literas, & munera ad Ezechiam, & fe- H
quitur, Lætatus eft autem Ezechias in adventu eorum. Sed nota ibi, quomodo difplicuerit Domino. 4. *Reg.* 20.

ACHAZ rex Juda fpoliata domo Domini, & domo regum, & principum, dedit regi Affyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. 2. *Paral.* 28.

Statuerunt Judæi in memoriam lætitiæ, quam habuerunt, interfecto Aman peffimo Judæorum inimico, ut pauperibus munufcula largirentur. *Eftber.* 9.

Conquerendo loquitur Dominus per Ifaiam dicens: Principes tui infideles, focii furum, omnes diligunt munera, fequuntur retributiones. *Ifaiæ* 1.

Dedit magifter militiæ regis Babylonis cibaria Jeremiæ, & munufcula, & dimifit eum. *Jerem.* 40.

Poftquam expofuerat regi Nabuchodonofor Daniel vifionem, rex in fublime illum extulit, & munera magna, & multa dedit ei. *Dan.* 2.

BALTHASAR Babylonis rex promiferat magna donaria Danieli,